PERILLVSTRI
D. IOANNI VINCENTIO
PINELLO,
Antonius Medus. S. P. D.

CVM anno proximè præterito me Venetias contulissem; vt expositioné meam in Librum Duodecimum Typis imprimerem; & vt etiam & Venetijs, & Pataiij cum aliquo excellenti ingenio viro meas nouas cogitationes cum in Schola Aristotelis, tum in Astrologiam communicarem: præstantię tuę integerrimi mores, sapientia, omnium scientiarum cumulus, & tua in me singularis beneuolentia vnico tantùm colloquio nostro, quo mihi pro angustia temporis domum properanti reuerti, licuit frui, statim perspecta fuerunt. Quæ quidem posteà in dies maiora perspicio, dum per Epistolas crebrò missas tanto viro fruor. Qui, vt video, ideò sibi domicilium potissimum Pataiij elegit, ut inter sapientissimos ipse sapientissimus præstantissimum vitæ genus etiam cum ijs, qui longissimo terrarum distant interuallo transigat. Tibi igitur imprimis hos animi mei sensus mitto ponderandos, quibus nitor ostédere communem modum philosophandi non esse Philosophiam Aristotelis. Immo ipsam Philosophiam Aristotelis ita reddere obscuram, vt à nemine in sua pu

ritate,ūti in se ipsa est,possit intelligi. Itemq; adimere studiosis infinitum laborem,quo torquentur. Præsertim verò præter alia multa, in vanis quæstionibus vniuersalium separatorum, in tuitione diuersorum peregrinorum dogmatum,& in excogitatione nouorum terminorum, quibus huiusmodi dogmata fulciuntur; ne dum quis vnum scopulum euadere conatur, in alium impingat. Quare textum Aristotelis suis inter se dissidentibus subtilitatibus nequeunt vnquàm reddere concordem. Ego verò hunc laborem studui commutare in iucundissimam contemplationem Philosophiæ Aristotelis,illam ab ipso scriptam,qui est singularis methodi magister, verbis, quibus communis est usus loquendi,ita,ut meo iudicio vnusquisque,qui vel mediocri ingenij acumine sit præditus ad illam intelligendam possit esse idoneus, & ad eam percipiendam. Quamobrem quoniam vellem quam primum hæc mea ad manus quorumcumque in Schola Aristotelis doctissimorum peruenirent; ideò Expositionem meam in Librum Duodecimum perillustri Romano Collegio Societatis Iesu dedicaui; hanc verò in hunc Septimum Librum, qui post Duodecimum pro sua dignitate in Philosophia Aristotelis omnium Librorum est primus, cui potius, quàm tuæ præstantiæ dedicarem,nullus occurrit. Primum propter singulare animi tui iudicium,de quo quid præ alijs,quos mihi contigit, vt alloquerer,sentirem,in ipso meo Venetijs discessu te per litteras certiorem feci; quidue de ipso in dies magis sentiam,testentur presentia. Deinde quoniam hæc statim exhibebuntur, & ad tuos familiares quam doctissimos, vbicunque degant gentium, transmittentur. Postremò quia authoritate, quod maximum est omnium, tui singularis iudicij

dicij associata, & splendore tui nominis illustrata ab unoquoque libentius aspicientur. Hoc item mihi non iniucundum me spero consecuturum, vt Traianus Radulouich nobilissimus iuuenis, qui nuper isthuc studiorum Philosophiæ gratia se se contulit, qui & familiaris, & affinis meus cum sit, ideò fortasse in re noua meo consilio noluit acquiescere; vt pro intelligentia Philosophiæ Aristotelis ad intelligendum textum tantùm incumberet, postpositis omnibus excogitatis, & permixtis modis philosophandi, non dubitem, quin quod mihi noluit credere, tuæ auctoritati sit crediturus. Equidem uix me possem continere, nisi me amor familiæ detineret, nè mare transeundo, vita periclitarer, quòminus uiretum tuum reuiserem, in quo deambulantes suo ordine collocuti sumus de pręcipuis Metaphysicæ partibus, & de mea Astrologia, & de Philosophia Pici Mirandulani. Nam libentissimè uiderem, an hoc tempore mei Calloscj, & alij hiberni flores à me tibi missi exornent nostri colloquij locum? Calloscios ideò meos dico, quia hoc genus florum multis antè annis ex oriente ad me allatum agnomine meo apud nos Calloscij appellatum est. Et etiam quia hilari animo hoc munusculum meum, qualecunque sit, quod mitto, manibus ipse meis præstantiæ tuæ afferrem, & caussam meam, si opus esset apud aliquem, ut in re noua, dicerem. Quod non dubito quin, quæ est tua humanitas, & nobilitas, libenti animo etiam sine me sis accepturus, & me ad reliqua prouocaturus. Cum ordo incœpti mei requirat, vt iam præmisso horum duorum Librorum munimine, ad Logicæ expositionem, Deo adiuuante aggrediar.

Ragusio 13. Kal. Febr. anni 1599.

DIDACI PIRRHI
CARMEN.

HIC est ille mei PINELLI *dulcis amicus,*
Fidus & interpres Medus Aristotelis.
Mome procax Graijs Lux est sua reddita Libris.
Impia cum iaceant somnia Porphyrij.

ANTONII MEDI
PRAEFATIO
IN LIBRVM SEPTIMVM
METAPHYSICÆ ARISTOTELIS.

QVAMVIS immortalis animus noster, dum una ex parte in hac vita caduca per corporeos sensus mortalium, & instar fluminis labentium rerum cognitionem inquirit, necessario dum vel actiuè, vel passiuè ad earum cognitionem se se habet, iuxta suam immortalem naturam & agit, & patitur. Atqui quoniam de mortalibus immortali ratione perscrutatur; ideò intellectus animi nostri dicitur se se habere ad horum sensibilium cognitionem, quæ nobis in præsenti vita sunt manifestissima, sicut se se habent oculi vespertilionum ad lucem diei. Quare difficilis hæc ex parte cognitio veritatis. Attamen ex altera parte considerantibus & facilis, & difficilis ueritatis cognitio esse videbitur. Facilis quidem si in sua methodo, si proprijs terminis veritatem dicentibus quæratur. Difficilis uerò, si nec propria methodo, nec proprijs terminis, & multò difficilior, si terminis falsum dicentibus indagetur. Veritates quidem rerum, quarum Philosophia Aristotelis cognitionem inuestigat (loquor autem de ijs, quæ vera dicit) sic sua methodo, & suis terminis perscrutantur, vt si ipsamet natura posset loqui, aliter fortasse, quàm Aristoteles non esset locuta. Id quod

profectò

profectò in ipso eiusdem textu manifestè patet, illum in sua puritate consideranti, & legenti nostram Expositionem cum huius Libri Septimi, tum Duodecimi. Etenim communis modus philosophandi, quo hæ veritates in Scholis traduntur nec methodo Philosophiæ Aristotelis incedit, nec eius termini, vt ipsi putant, sunt termini ipsas res significantes. Iccirco in Scholis non solum difficilem cognitu Philosophiam Aristotelis reddunt; sed etiam illo modo fit, vt fieri non possit, vt cognoscatur. Quod quidem cum se se ita habeat, prauus tamen habitus primum longo tempore per Porphyrium contractus iam à Schola Socratis, & Platonis originem ducens, deinde ab Auerrois authoritate multis peregrinis dogmatibus stabilitus non sinit hæc credere. Hæc tamen nostra legentem Philosophiæ Studiosorum vnumquemque credere cogent, si accuratè fuerint ponderata, & perspecta. Nec uerò hoc temerè à me dictum aliquis putet. Nam & ex textu manifestè patet, & ego clarè expono vniuersam Philosophiam Aristotelis in concreto versari; at vniuersus modus philosophandi, qui vsu Scholarum est iam receptus, docet non in concreto, sed in abstracto. Quare communis modus philosophandi totus huiusmodi terminis abstractis refertus est. sicut substantialitas, materialitas, formalitas, quiditas, albeitas, quantitas, & alijs id genus. Quos quidem terminos in textu Aristotelis nusquam reperies. Immo quicquid Aristoteles aduersus vniuersalia separata, & aduersus Ideas dicit, vtraq; omnino ab vsu philosophantium reijciens; omnia profectò dicuntur, & omnia pro certo habeas dicta esse aduersus hos terminos, quorum unusquisq; est species separata, quæ est ipsa Idea. De hoc modo philosophandi, & de ijs terminis improprijs in vndecimo huius Libri capite ait. Ista à veritate abducunt, & opinari faciunt hominem sine partibus esse; idest, sine carnibus, & ossibus, sicut sine ære circulum. Ac ut huiusmodi separata ab vsu Philosophandi omnino explodat, toto decimo tertio, & decimo quarto Capite differit.

differit. Quid verò dicam de termino (quod quid erat esse.) sine cuius cognitione, & sine cognitione speciei quam dicit puritas Philosophiæ Aristotelis, fieri non potest vt ab vllo intelligatur. Quo quidem termino licet Aristoteles in sua Philosophia vbiq; vtatur, & quo hic Septimus Liber plenus est; quotus tamen quisq; est, qui quærat in suo significatu quid dicat? Nemo profectò, quē ego legerim nisi Alexander Aphrodiseus in Primo Topicorum. sed nec ipse aliquid ad rem. Quamobrem non est mirandum, si Scholæ hoc modo extra Methodum, & improprijs terminis philosophantes Philosophiam Aristotelis difficilem reddiderunt, siue potius, quæ post laborem sine fine, fieri non possit, vt verè cognoscatur. Iam verò quid de ipsa communiter dicitur? Minimum est quod dicunt. Aristoteles obscurus est. Dicunt etiam eum ex industria obscurasse Philosophiam, & ex græcis fabulis cuiusdam falsæ Epistolæ ad Alexandrum scriptæ testimonio innituntur. Ac præter alia sunt qui aiunt Aristotelem cereum nasum habere, quem pro suo arbitratu vnusquisq; flectere potest. quo vult. Quid aduersus huiusmodi obloquentes dicam? Vt obscurus, vt ambiguus, vt fieri non possit, vt à nobis cognoscatur, non est in causa Aristoteles, sed nos ipsi, qui methodo aliorsum ducente quàm ad Aristotelem, Aristotelem quærimus. A qua quidem methodo vno pede egressi sumus, quando ducem Porphyrium secuti sumus, vt nos in Aristotelis Philosophiam introduceret, hominem ignarum Philosophiæ Aristotelis. Quippe qui ipsemet fatetur se ignorare quid sint illa vniuersalia, de quibus tractat. Altero verò pede egressi sumus, quando imbuti à Porphyrio philosophia separatorum vniuersalium, cum ad Philosophiam Aristotelis accedimus, statim concreta separamus, cum necessariò cogimur loqui illis vocibus, quas in aures primus Porphyrius insusurrauit; quoniam cum doctrina, tum disciplina intellectiua fit ex præexistenti cognitione. Ideo incipiendo à Præfatione prædicamentorum vbi Aristoteles

ait. *Vnumquodq; eorum, quæ nulla cum complexione dicuntur, significat aut substantiam, aut quantum, aut quale, (quod est in concreto loqui) vt in tota sua Philosophia est legere. Nos verò hunc locum abstrahentes extra methodum altero pede egredimur, dicentes, quantitatem, qualitatem ita vt posteà nunquàm in Aristotelis methodum reuertamur, sed semper extra ipsam abstractis philosophemur. Ob hanc caussam ij quoq; qui ex Græco nobis textum interpretati sunt maiore ex parte concreta abstracta faciunt, sicut quantum, aut quale, quantitatem, & qualitatem dicentes. Et sicut in Quinti Libri Capite septimo vbi textus Aristotelis dicit. Per se esse dicuntur quæcunq; figuræ prædicamentorum significant, vitio verò interpretum legitur. Quæcunq; figuras prædicamentorum significant. Ob hanc caussam in Scholis putant genera, & species subsistere, & separata esse ab ijs sensibilibus, & vnum vniuersale subiectum esse alterius vniuersalis, sicut speciem generis, & omnem propositionem diuidi in subiectum, & prædicatum. Quæ licet in Scholis putentur esse de mente Aristotelis, tantum tamen abest, vt sint de mente eius, vt ei maximè opponantur, & omnino sint extrà eius methodum. At aliquis ad hæc obijciet. Ergo in modo philosophandi vana sunt vniuersalia, ergo vana Porphyrij prædicabilia? Respondeo primum de Porphyrio. Quoad communem modum philosophandi sine Porphyrio in Scholis neque vox esset, neq; sensus. Quoad puritatem Philosophiæ Aristotelis cognoscendam nisi illa prædicabilia procul à Scholis proijciantur, nunquàm Philosophia Aristotelis verè cognoscetur. Quod verò ad vniuersalia. Dico ad nostram cognitionem necesse est vniuersalibus rationibus vti, quibus nisi vteremur in modo nostræ cognitionis nec esset demonstratio, nec scientia propriè dicta. Loquor de illis rationibus vniuersalibus, quibus Aristoteles in suo modo Philosophandi vtitur. Quæ in eius methodo sunt communes rationes specierum inseparabilium, quas species*

quod

quod quid erat esse, & quid erat esse appellat. Quare hæ rationes vniuersales non sunt separatæ, sed semper per species his rebus innituntur ipsas res significantes, & de eis dicentes; sicut quantum, & quale. Illa verò vniuersalia separata, quæ sunt, de quibus Porphyrius agit, & quæ sunt sicut quantitas, qualitas, & multò magis, quæ transcendentia vocant; hæc omnino sunt vana quoad Philosophiam Aristotelis. Quin potius hæc sunt, quæ confundunt in Scholis modum philosophandi, dum ijs philosophantes existimant se de mente Aristotelis philosophari. Verum quoniam hic Septimus Liber vniuersaliore ratione in duodecimo continetur. Ideo quicquid pro declaratione puritatis philosophiæ Aristotelis in suo genere consideratè dicitur, & aduersus vniuersalia Porphyrij, & aduersus communem modum philosophandi, omne id dico tum ex textu, tum ex nostra Expositione demonstratiue probari. Argumentorum autem maiorem præmissam esse Librum Duodecimum, minorem uerò hunc septimum. In quo quidem septimo Metaphysica ratione tractat de substantia generabili, & corruptibili, ac de eius principijs, caussis, & elementis. Verùm quoniam circa cognitionem huius speciei pro sua ratione vnusquisq; & Physicus, & Logicus versatur; ideò in hoc Libro totius philosophiæ Aristotelis ratio, & proprietas modi philosophandi perspicitur. Atq; ideò omnium Librorum philosophiæ Aristotelicæ hic meritò semper ijs, qui extra methodum Aristotelis philosophantur habitus est difficillimus. Ob has caussas post Expositionem duodecimi, qui & pro sua dignitate; & in natura philosophiæ primus est, secundo loco hunc septimum, & quia est fructuosissimus, & quia toti philosophiæ est necessarius, exponendum suscepi. In qua quidem expositione nihil vel de meo, vel de alieno addens verba Aristotelis verbis ipsius declaro. Atqui sicut ego, qui sine magistro viuæ vocis, qui me illam philosophiam doceret, quam ipse à suo Præceptore didicerat, tantum textui studens verba Aristotelis

intelligere elaboraui. Hoc item modo vnumquemq; studiosorum hortor, vt posthabitis omnibus expositionibus, et quicquid à magistris communi modo philosophandi per quodcunq; tempus didicerit, denuò incipiat ad solius textus intelligentiam incumbere. Quod si quid in aliqua expositione pro intelligentia verborum Aristotelis videre voluerit, caueat vbicunq; viderit, vel longam digressionem, vel noua dogmata, vel peregrinos terminos, & suspecta habeat tanquàm extra methodum philosophiæ Aristotelis. Nam methodus est breuis syllogistica via ad veritatem ducens. Ac ipse huius philosophiæ totius pater non indiguit alijs terminis, vel dogmatibus; cur aliquis, qui aliquam partem eius philosophiæ tractat, indiguit? Quæ cum ita sint, verè dicere possum hæc elegans, & generosa Christianæ Religionis ancilla à suo partu tot sæculis tenebris offusa ita quodammodo delitescit, ut à nemine vti est in suo splendore conspicitur, à nemine tandem qui eam pro ingenij sui captu nouerit, non laudetur, in primisq; ab Angelico Doctore, qui quoniam ex omnibus expositionibus magis est textualis; ideò per rariorem caliginem eius nobilitatem admiratur, & dignis laudibus extollit. Cum igitur ab omnibus laudetur, indicio nobis est omnes eius cognitione delectari. Atqui si ita per tenebras aspecta eius pulchritudine capimur, quanta tandem voluptate perfundemur, cum detecta, & suo splendore collustrata eius vera pulchritudine fruemur? Quamobrem nobilissimi & excellentissimi viri ueritatis studiosi tanta rei pulchritudo ad se intuendum quodammodo vos rapere videtur, pulcherrima veritas vnumquemque, qui hæc nostra (licet breuiter tacta,) legerit, cogit, vt abiectis, & neglectis ijs, quibus dicimus eam obscurari, & deturpari, tantum textui studentes, & vobis, & alijs eius splendorem aperiatis, ita, vt non solùm eius pulchritudine, vti in se est, oblectemini, sed etiam vt videatis quàm aptè nostræ Christianæ philosophiæ ancilletur. Hæc nostra liset meritò sint dicta

aduer-

aduersum communem modum philosophandi; non tamen aduersus philosophantes, quorum vnumquemq; tanquàm nobilissimum, & excellentissimum virum huic nostro opusculo commilitonem, patronum, & iudicem esse exoptamus. Hæc nostra omnia scripta, & scribenda semper summissa volumus certissimo iudicio, & censuræ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, præsertim verò de illa præclare merito eius visibili capiti Clementi Octauo Summo Pontifici, quem Clementissimus Deus Suæ Sanctæ Ecclesiæ diu seruet incolumem.

ARISTOTELIS STAGIRITAE METAPHYSICORVM LIBER SEPTIMVS.

CAPVT PRIMVM.

ENS multipliciter dicitur, quemadmodum in ijs, quæ de quoties prius diuisimus. Significat enim aliud quidem, & quod quid, aliud verò quod quale, aut quantum, aut singula aliorum, quæ ita prædicantur. Cum autem ens toties dicatur, patet primum horum ens esse ipsum quid est, quodq; substantiam significat. Cum enim, si dicimus quale quippiam hoc, aut bonum dicimus, aut malum; sed non tricubitum, aut hominem: cum autem quid est, non album, nec calidum, nec tricubitum, sed hominem, aut Deum: cætera verò entia dicuntur, eo quod entis propriè dicti quædam sunt quantitates, quædam qualitates, quædam passiones, quædam aliquid aliud tale. Vnde dubitauerit aliquis vtrum ipsum ambulare, & sanum esse, ac sedere, & vnumquodq; horum ens, an non ens est. Similiter & de quocunq; cæterorum similium. nihil enim horum est per se natura aptum, neq; possibile à substantia separari: sed magis,

siquidem

siquidem ambulans entium aliquid, & sedens, & sanum: hæc autem magis entia apparent, quoniam subiectum eis determinatum est: hoc autem subiectum & singulare est, quod in tali prædicatione apparet. bonum enim, aut sedens absq; hoc non dicitur. patet igitur quod propter hanc illorum quoq; singula sunt. Quare quod primò est ens, & non aliquid ens sed simpliciter ens, substantia. Multis, quidem modis primum dicitur: attamen substantia & ratione, & cognitione, & tempore, & natura omnium primum est. aliorum enim categorematum nullum est separabile, sed hæc sola. ratione quoq; hoc primum, necesse est enim in cuiusq; ratione inesse ratione substantiæ. scire etiam tum putamus vnumquodq; magis, cum quid est homo, aut ignis sciamus: quam quale, aut quantum, aut vbi. nam & horum ipsorum tunc vnumquodq; scimus, cum quid est ipsum quale, aut ipsum quantum scimus. Quod quoq; tàm olim, quàm tunc, & semper quæritur, semperq; dubitatur quidnam ipsum ens sit: hoc est, quænam substantia est: hoc enim quidam vnum aiunt esse, quidam plura, quàm vnum: & quidam finita, quidam uerò infinita. Quare nobis quoq; maximè & primum, & solum (vt ita dicam) de ente hoc pacto, quidnam sit speculandum est.

EXPOSITIO.

Substantia de qua Metaphysicus speculatur triplex est: generabilis, & corruptibilis, cœlum, & ea, quę est à sensibili separata, de quibus suo ordine in Duodecimo Libro egit. In hoc autem differit tantùm de substantia generabili, & corruptibili. Quæ quoniam interdum simul cum accidentibus, ut quoddam totum communi nomine, nonnunquam communi nomine etiam distinctè analogicè eadem, quandoque vnumquodq;

quodq; suo proprio nomine significatur. Ideo quemad modum natura insitum est nobis, vt ab uniuersalibus ad singularia procedamus; ita & ipse à multiplici significatu huius vocis (ens) exorsus est. Quandoquidem hoc nomen (entis) aliquando ea sonat, quę sunt per accidens, aliquando ea quę sunt per se, sępè ea, quę sunt in decem prędicamentis, non raro ea, quę dicuntur vera, vel falsa; vera sunt entia; non vera sunt non entia; modo illa quę dicimus actu esse, modo ea, quę sunt potentia. De quibus quidem cur & quomodo vnumquodq; eorum ens dicatur, egit in Quinti Libri Capite Secundo, quinti Capite septimo, sexti Capite secundo, & extremo nono Libro. Quare ait, Ens multis modis dicitur, sicut in ijs, quę de quoties prius diuisimus. Hoc, sicut in prędictis locis distinctè differuit. Hic notandum est prędicamenta non esse separata, nec per se existentia. sicut quantitas, qualitas, & alia eiusmodi; sed esse, sicut quantum, quale, & sic de cęteris. Huiusmodi enim non pauca sunt, quę purę philosophię Aristotelis in communi modo philosophandi densissimas tenebras offundunt. Quæ quidem omnia ex pręexistentibus in animo Porphyrianis vniuersalibus emerserunt. Quæ sanè nisi explodantur, nunquàm puritas philosopię Aristotelicę, sicut in se est, cernetur. Nàm sicut dies, & nox non possunt esse simul in eodem hemispherio; ita cum puritate philosophię Aristotelis illa vniuersalia, vel illud genus vniuersalium Porphyrianum nunquàm simul stare poterit. Sed hoc omisso ad expositionem reuertamur. Ens inquit, significare aliud quid, & hoc aliquid, quod est substantia: aliud quale, aliud quantum, aut singula aliorum; idest, accidentium, ita dictorum. Posteà concludit ea, quę in hoc Capite tractantur, inquiens. Cum

autem

autem ens toties dicatur,manifestum esse ex ijs,quę ita entia appellantur,ipsum quid est,primum horum ens esse,& hoc ens substantiam significare.Deinde habitudine vnius ad alium eorum inter se distinctionem probat, inquiens. Cum quale quippiam dicimus,hoc aut bonum,aut malum dicimus,sed nō tricubitum; idest,quantum,aut hominem; idest,substantiam.Et cum dicimus, quid sit; idest, substantia quid sit,non dicimus album, nec calidum, nec tricubitum, sed quid est homo, vel Deus. Ex quibus infert cætera entia ideò dici entia, quoniam entis,quod propriè ens esse dicitur, quędam sunt quanta,quędam qualia,quędam passiones, & quędam aliquid aliud tale, ita vt vnumquodque illorum sit aliquid entis. Quibus ita conclusis, ait, aliquem posse dubitare,si ens tantum substantia dicitur,ambulare,sanum esse, sedere vnumquodq; horum ens an non ens sit? Hoc modo & de quocunq; aliorum, quę similiter dicuntur posse dubitari. Et subiungit. Nihil horum; idest accidentium,& passiorum esse per se aptum, nec natura fieri posse,vt à substantia separetur. Nihilominus ens magis apparet ambulans,quàm non ambulans; sedens, quàm non sedens; sanum, quàm non sanum. Cui dubio ita respondet. Hęc ideò magis entia apparent,quoniam determinatum est subiectum eorū,quod que ita determinatum in tali prędicatione apparet, id substantiam,& ipsum singulare esse. Ac subiungit. Bonum enim,aut sedens absq; hoc non dicitur; idest absq; substantia non dicitur, sed simul cum substantia. Ideo ait. Propter hanc, idest propter substantiam singula illorum esse.Ex quibus infert.Quare quod primo est ens, non autem aliquod ens,sed simpliciter ens,hoc substantiam esse. Licet autem primum multis modis dicatur,

vt videre eſt Libro Quinto, ſubſtantia tamen & ratione, & cognitione, & tempore, & natura omnium aliorum primum eſt. Quoad prædicamenta verò; ideſt logicè loquendo ait, Aliorum prædicamentorum nullum eſt ſeparabile ita, vt per ſe dici poſſit: at prædicamentum ſubſtantiæ ſeparabile eſt. In trito verò ac communi modo philoſophandi omnia prędicamenta faciunt ſeparabilia, cum dicunt quantitas, qualitas, & non dicunt quantum, quale. Quantum, & quale ideò non ſunt ſeparabilia, quoniam ſemper alicuius ſe eſſe pręſeferunt. At quantitas, & qualitas quid ſeparabile dicit. Subſtantiam ratione eſſe primum hac ratione patet. Quoniam in ratione quorumcunq; aliorum, rationem ſubſtantiæ ineſſe neceſſe eſt. Sicut cum quis volet definire, album, neceſſe eſt, vt dicat cuius ſubſtantiæ ſit illud album. Item ſubſtantiam eſſe cognitione primum hac ratione probat. Quoniam tunc magis ſcire putamus, cum quid ſit ignis, aut homo ſcimus, quàm cum qualis, aut quantus. Et hæc eadem; ideſt, quale, & quantum tunc magis ſcimus, cum quid ſit quale, aut quid ſit quantum cognoſcimus. Poſtremò ſuo more hæc vera eſſe probat aliorum authoritate, inquiens. Quod quoque tàm olim, quàm nunc, & ſemper quæritur, ſemperque dubitatur quidnam ipſum ens ſit? hoc eſt, quę nam ſubſtantia ſit? Ex quibus antiquis quidam aiunt hanc ſubſtantiam vnũ eſſe; quidam plura eſſe quàm vnum. nonnulli finita, nonnulli verò infinita, de quorum opinionibus in Primo Libro ſuo ordine agit. Ex quibus totum hoc Caput concludens ait. Quare nobis quoq; maximè, & primum, & quodammodo ſolum de huiuſmodi ente; ideſt ſubſtantia quidnam ſit ſpeculandum eſt.

CAPVT II.

Videtur autem substantia existere manifestissimè quidem in corporibus. quare animalia, & plantas, & eorum partes substantias esse dicimus, ac naturalia corpora, vt ignem, aquam, & terram. cæterorum quoq; singula, & quæcunq; aut horum partes, aut ex ijs sunt, aut partibus, aut omnibus, vt cælum, & eius partes, sidera, Luna, & Sol. vtrum autem hæ solæ substantiæ sint, an etiam aliæ, an harum quidem nulla, sed aliquæ aliæ, considerandum est. Videtur autem quibusdam, corporis terminos, vt superficiem, lineam, punctum, & vnitatem substantias esse, & magis quàm corpus, & solidum. Item præter sensibilia, quidam non putant aliquid esse tale: quidam plura, & quæ magis sempiterna sunt, sicut Plato, & ipsas species, & mathematica, duas substantias: tertiam verò sensibilem corporum substantiam. Speusippus verò etiam plures substantias ab vno incipiens, & principia cuiusq; substantiæ aliud numerorum, aliud magnitudinum: deinde animæ. & hoc modo extendit substantias. Quidam autem species quidem, & numeros eandem habere naturam aiunt. cætera verò sequentia lineas & superficies vsque ad cæli substantiam, & sensibilia. De ijs igitur quid bene, quidue non bene dicatur, & quæ substantiæ sint, & vtrum aliquæ præter sensibiles sint, nec ne, & hæ quomodo sint, & vtrum est aliqua separata substantia, & cur, & quomodo, an nulla præter sensibiles, perscrutandum est, descripta primo substantia quidnam sit.

EXPOSITIO.

IN proximo superiore Capite statuit substantiam esse id, quod primo, & maximè, propriè ens esse dicitur. Verum quoniam Metaphysici

ſpeculatio eſt de ſubſtantia; ideò in hoc Secundo Capite de ipſa ſubſtantia plurima in dubium reuocat, tum de illis, quę apparent, tum de varijs proceſſu temporum antiquorum de ſubſtantia ſententijs. Primò ait ſubſtantias eſſe dicimus animalia, plantas, & eorum partes, quę quoniam ſunt corporea, ideò maximè in corporibus ſubſtantias eſſe videri. Deinde ait ſic eſſe & naturalia corpora, ſicut ignis, aqua, terra. Quæ ideò naturalia corpora appellat, quoniam nemini eorum forma in vna ſola ſpecie quodammodo determinatur. Sicut ignis calidus an leuis dicendus ſit; & terra grauis, an ſicca? Item quoniam hæc totius naturæ generabilis, & corruptibilis ſunt quædam materia, & alimentum; ideò corpora naturalia appellantur. Hic tamen nemo putet anſam ſibi dicendi pręberi in philoſophia Ariſtotelis corpus ſubſtantiam eſſe, vt antiqui opinabantur. Qui principia, & ſubſtantias rerum naturalium Mathematica ſtatuebant. & quia in corpore cernebant calidum, album, dulce, durum, & alia id genus; ideò arbitrabantur corpus eſſe ſubſtantiam. Et quia quatenus corpus continetur ſuperficie, ſuperficies linea; linea puncto; & punctus vnitate; ideò horum vnumquodq; ſuo ordine magis ſubſtantiam eſſe dicebant. ex quorum modo philoſophandi ſicut & ſeparata vniuerſalia, & ſpecies eſſe ſeparatas, ita Porphyrius in ſuis prædicabilibus etiam corpus ait eſſe in genere ſubſtantiæ. Sed ad textus explanationem redeamus. Quod ait cæterorum ſingula, hoc eſt cæterorum omnium, quæ ſunt vnumquodq; ſingulare eſt ſubſtantia. Verum quoniam cęlum vnum eſt, vt videre eſt in Duodecimi Libri Capite octauo, cœli verò partes ſunt orbes, orbium partes ſunt ſtellę, & Sol, & Luna cœlum eſt ſubſtantia vna, quilibet orbis eſt ſubſtantia,

ſtantia, quælibet ſtella, & Sol, & Luna ſunt ſubſtantiæ; ideò ait. Et quęcunq; aut horum partes, aut ex ijs; ideſt, ex partibus, ſicut vnum cœlum ex tot orbibus, vel vnius cœli tot orbes, vel orbium ſtellæ, vnumquodq; horum ſubſtantia eſt. Quæ vt exemplo declaret, ſubiungit. Vt cœlum, quod ſecundũ ſuam ſpeciem, & materiam vnum eſt: cœli partes; ideſt orbes, quorum quilibet vnus eſt, orbium partes ſtellæ, Sol, & Luna, quodlibet eorum vnum eſt, & vnumquodque illorum ſicut vnum, ita ſubſtantia. Quæ omnia, quoniam auctoritate veterum poſſent in dubium verti; ideò ſubiungit. Vtrum hæ ſolæ ſubſtantiæ ſint, an etiam & hæ, & pręter has aliæ? an horum, quæ recenſuimus nulla ſit ſubſtantia, ſed aliquę alię ſint ſubſtantiæ conſiderandum eſſe. Quæ vt perpendat primò ait. Videtur quibuſdam terminos corporis ſicut ſuperficiem, lineam, punctum, & vnitatem ſubſtantias eſſe, & magis quàm corpus, & ſolidũ; & quoniam etiam corpus, & ſolidum ſubſtantias eſſe dicebant; ideo dixit, & magis illa, quàm hoc. Poſteà ait. Fuiſſe quoſdam, qui putauerunt præter ſenſibilia non eſſe huiuſmodi Mathematica, quas ij ſubſtantias appellabant. Pretereà alios refert, qui præter ſenſibilia plura putabant eſſe ſubſtantias, quàm ipſa ſenſibilia; & æterna eſſe principia, ex quibus fuit Plato; ſicut formas ſeparatas; ideſt, Ideas, & Mathematica, duas ſubſtantias eſſe dicebant, tertiam verò ſubſtantiam ſenſibilium corporum eſſe ponebant. Speuſippus, ait, plures ſubſtantias & ipſe ponebat, quarum ſubſtantiarum vnum erat principium, & ſubſtantia omnium, & ab ipſo vno tum ſubſtantiæ numerorum, tum ſubſtantię magnitudinum procedebant, quæ ſunt punctus, linea, ſuperficies, & corpus. Ad hæc, ait, ponebat animæ ſubſtantiam, quæ eſt ſupra naturam

corpo-

corporum, qui in huiusmodi serie ait extendebant substantias. Quosdam alios ait arbitratos fuisse Ideas, & numeros esse eiusdem naturæ substantias, & post has sequi in ordine substantiarum ipsas magnitudines, ex quibus sunt linea,& superficies,& ita vsq; ad cœli substantiam procedebant,& ad sensibilem substantiam. Tum ait. De ijs igitur quid benè quiduè secus dicatur; & quæ substantiæ sint,& vtrum aliquæ substantiæ præter sensibiles sint necne? & hæ substantiæ quomodo sint: & vtrum sit aliqua separata substantia? & an nulla præter sensibiles substantias sit? perscrutandum, inquit, erit, si prius definiatur ipsa substantia quidnam sit.

CAPVT III.

DIcitur autem substantia, si non pluribus, saltem quatuor modis. maximè etenim quod erat esse, & vniuersale, & genus substantia cuiusq; esse videtur: & quartum subiectum. subiectum autem est, de quo cætera dicuntur; illud verò non amplius de alio. Quare primò de eo determinandum est: maximè nanq; substantia, subiectum primum esse videtur. Tale verò quodam modo quidem materia dicitur, quodam modo verò forma: tertium verò quod ex ijs est: dico autem materiam quidem, vt æs: formam autem, figuram Ideæ: quod verò ex ijs est, totam statuam: vnde si species prior materia est, & magis ens, illud quoque, quod ex ambobus est, prius erit ob similem rationem. Nunc itaq; quidnam substantia sit, quasi in figura dictum est, quod non de subiecto, sed de quo cætera. Oportet autem, non ita solum: non enim sufficiens est: & nanque ipsum non est manifestum. Etenim materia substantia est. nam si hæc non est substantia, quæ alia esset fugeret nos. dem-

ptis

ptis etenim cæteris, nihil aliud remanere videtur: cætera namque passiones corporum, & effectiones, & potentiæ sunt. Longitudo verò, latitudo, & profunditas quantitates quædam, sed non substantiæ sunt: quantitas etiam non est substantia, sed magis cui hæc ipsa primò insunt, illud est substantia: enimuero ablata longitudine, latitudine, & profunditate nihil videmus reliquum, nisi si quid est, quod ab eis determinetur: vt ita considerantibus, materiam solam necesse sit apparere substantiam. dico autem materiam, quæ per se ipsam, neq; quid, neq; quantum, nec aliquid aliud quippiam dicitur, quibus ens determinatur. est enim quid, de quo singula horum prædicantur: cui esse, ac cuiq; prædicationum, diuersum est. cætera nanq; de substantia prædicantur: hæc verò de materia. Quare quod vltimum est, per se, neq; quid, neq; quantum, nec aliquid aliud est, neq; etiam negationes: etenim hæ quoq; secundum accidens erunt. ex ijs itaq; speculantibus accidit substantiam esse materiam. At impossibile est: etenim separabile, & quod quid esse, videtur maximè inesse substantiæ; propter quod species, & quod ex ambobus videtur esse substantia magis, quàm materia. At illa substantia, quæ ex ambobus, dico autem quæ ex materia, & forma est, omittenda est, posterior enim, & manifesta est. manifesta verò quodammodo etiam ipsa materia. At de tertia considerandum est. hæc enim maximè dubitabilis. conceditur autem quasdam esse substantias sensibilium: quare in ijs primum quærendum est.

EXPOSITIO.

IN extremò proximè præcedenti Capite dixit oportere primò describi, quid sit substantia, vt de ipsa possit posteà perscrutari, quod vt in hoc Capite aggrediatur ait. Dicitur autem substantia

maximè

maximè si non pluribus, saltem, quatuor modis. Qui quidem dicendi sunt quod quid erat esse vniuersale, & genus. Hoc, inquit, substantia cuiusq; esse videtur: id-est, cuiusq; rei species singularis, & species vniuersalis, quę est plurium singularium ratio. Et genus, quod est plurium singularium differentium specie ratio. Ideò di-xit substantia cuiusq; esse videtur; quia hæc omnia non sunt approbanda. Immo capite decimo tertio, & deci-mo quarto huius Libri demonstrabit neq; vniuersale, neq; genus substantias esse. Quartum, inquit, quod sub-stantia videtur esse, subiectum esse, de quo cętera dicun tur, illud verò de nullo alio amplius dicitur. Verum quo-niam subiectum manifestius substantiam dicit, quàm alia; ideò subiungit. Quare primò de eo; idest, de sub-iecto determinandũ est. Quare, inquit, Tale subiectum quodammodo materia dicitur, & quodammodo for-ma, & absolutè tale subiectum dicitur id, quod ex ijs duobus constat. Sicut æneę statuę materia est æs, forma verò est figura Ideę, quodq; ex ijs constat, ipsa statua tota est. Deinde quęrit, quid horum in natura prius est? quiduè eorum magis ens? dicens. Vnde si species prior materia est, & magis ens, quàm materia, quatenus ma-teria ex se nec quid, nec quale, nec vllum aliorum, quæ sunt in prędicamentis, est. Similiter eadem ratione se-quitur, quod ex ambobus est, prius vtrisq; esse, id quod finem versus huius Libri patebit. Deinde ait hæc, quæ hactenus dixit de ipsa substantia, quasi in figura, & ali-qua similitudine dicta esse, substantiam esse id, quod non dicitur de subiecto, sed de quo cætera dicuntur. quamobrem ait opus esse pluribus alijs rationibus, & inquisitionibus ad cognitionem substantiæ, cum hæc, quę dicta hactenus de illa sunt, non sufficiant. Ideò sub-

iungit.

iungit. Hoc ipſum non eſſe manifeſtum. Hoc ipſum, ſubſtantiam intelligit. Deinde vt probet materiam eſſe ſubſtantiam hanc rationem adducit. Etenim, inquit, materia ſubſtantia eſt, quod ſi non eſſet verum, ſubiungit, fugeret nos quid ſubſtantia eſſet. Æquè ac ſi diceret. Quæ de ſubſtantia in pręcedentibus dicta ſunt non eſſe vera, eſſet enim inconueniens; ſed hęc de materia eſſe vera, quatenus materia eſt ſubiectum cæterorum, ipſi verò non ſubijcitur. Quod probat dicens, demptis cęteris, nihil aliud remanere videtur. cętera vocat corporum paſſiones, effectiones, & potentias. Quoniam verò corpus non eſt ſubſtantia (vt falſo Porphyrius vult) ideò ſubiungit, longitudinem, latitudinem, & profunditatem quantitates quaſdam eſſe, ſed non ſubſtantias. Itaq; repetit idem. Quantitas enim non eſt ſubſtantia, ſed, ſubiungit, ſubſtantiam eſſe id, cui hęc ipſa primò inſunt, ideſt, cui ineſt primò longitudo, latitudo, & profunditas. Primò inſunt, ideſt, cui primò tanquàm proprio ſubiecto inſunt. Idque eſſe ſubſtantiam ob hanc cauſſam patet. Quia ſi quis in rationibus auferret longitudinem, latitudinem, & profunditatem, quid aliud remaneret, niſi id, quod ab eis determinatur. Ex quibus corollario infert, ita conſiderantibus materiam ſolam ſubſtantiam apparere. Verum quoniam omne ſubiectum eſt quędam materia; ideò declarat hoc eſſe illam materiam, quæ per ſe ipſam neq; quid, neq; quale, neq; quantum, nec aliquid quippiam eorum, quibus ens determinatur, dicitur. Præterea. Eſt enim, inquit, quid, ideſt, eſt ſubſtantia, de quo quid prædicantur ſingula horum, quæ ſunt, ideſt, quantum, quale, & alia, quorum & eſſe, & prædicatio cuiuſque diuerſa eſt. horum cętera omnia de ſubſtantia prædicantur, ipſa verò ſubſtantia

D de

de materia. Ob has rationes ait. Quod vltimum eſt, ideſt, hęc materia per ſe neq; quid, neq; quantum, nec aliquid aliud eſt. Neq; negationes, ait eſſe. Quia & negationes ſecundum accidens dicuntur eſſe aliquid. Ex quibus rationibus ita conſideratis concludit materiam ſubſtantiam eſſe. Verum quoniam ſubſtantia ob plures rationes ſubſtantia eſſe dicitur, ſi quis rationem, qua ſubſtantia eſt ſeparabilis, & hoc aliquid per ſe conſiderauerit; materia ei non videbitur eſſe ſubſtantia omnibus illis modis, quibus ſubſtantia dicitur; ideò dicit. At impoſſibile eſt, ideſt materiam ſubſtantiam eſſe, quoniam ſeparabile, & quod quid eſt ſubſtantia; ideſt, & hoc aliquid eſt. Hęc duo rationibus ſubſtantię maximè ineſſe videntur. Propter quas rationes ipſa ſpecies, & id, quod ex ambobus eſt; ideſt, hoc aliquid, ſicut Socrates, magis quàm ipſa materia ſubſtantia eſſe videtur. Poſtremò de quibus ſuo ordine acturus ſit, ait. At illa ſubſtantia, quæ ex ambobus, vt quoddam totum eſt, omittenda eſt; poſterius, tanquàm de eo, quod eſt ex ſe manifeſtum conſiderabimus. Manifeſta quodammodo ſubiungit, & ipſa materia eſt. Sed de tertia ſubſtantia neceſſe eſſe conſiderari, de qua ſunt quamplurimæ dubitationes, quas præ illis dubitationibus, quæ de alijs ſubſtantijs ſunt maiores eſſe aſſerens, ait. Hæc eſt maximè dubitabilis. Vt tandem finem pręſenti Capiti imponat, & ſequens exordiatur, ait. Conceditur autem quaſdam ſubſtantias eſſe ſenſibilium. Quare in his ſenſibilibus quærendum erit, quid ſit hęc ſubſtantia, quam ſpeciem appellamus.

CAPVT IIII.

CVm autem in principio diuiserimus quot modis substantiam determinamus, ac horum vnum quiddam esse videatur, quod quid erat esse, de eo considerandum est. prodest enim transcendere ad notius. ita namq; disciplina fit omnibus, per minus nota natura, ad magis nota. & hoc opus est, vt in actibus ex eis quæ cuiq; sunt bona, facere quæ simpliciter bona sunt, sint cuique bona, ita ex sibi notioribus, quæ natura nota sunt, sibi facere nota. quæ autem singulis nota, & prima, sæpenumero parum nota sunt, & parum, aut nihil entis participant. attamen ex eis, quæ parum nota, sibi tamen nota sunt, conandum est cognoscere, quæ simpliciter nota sunt, per hæc ipsa (vt dictum est) transcendentibus. At primò quædam de eo Logicè dicemus: quod illud est, quod quid erat esse vnumquodque, quod secundum se dicitur, etenim tibi esse non est musico esse. non enim secundum teipsum musicus es. quod ergo secundum teipsum. Nec tamen hoc totum. nec enim illud, quod ita secundum se est, vt superficies alba: quoniam superficiei esse, non est albo esse. At verò nec quod ex ambobus est superficiei albæ esse. Quare? quoniam hæc inest, in qua ergo ratione ipsum dicente non inerit ipsum, hæc ratio eius, quod quid erat esse cuiq;. Quare si superficiei albæ est, est superficiei læui esse, albo, & læui esse vnum, & idem est. Cum autem secundum cætera quoq; prædicamenta composita sint (est etenim aliquod cuiq;, vt qualitati, & quantitati, & quando, & vbi, & motui) perscrutandum est vtrum est ratio eius quod quid erat esse cuique horum. & vtrum inest etiam ijs ipsum quod quid erat: vt homini albo, quid erat albo homini. sit autem nomen eius, vestis: quid est vesti esse? at verò nec eorum est, quæ secundum se dicuntur. an hoc non secundum se dupliciter dicitur? & huius est hoc quidem ex additio-

ne, istud verò non. hoc enim dicitur, eo quod ipsum, quod definitur alteri adijcitur. vt puta, si albo esse definiens dicit albi hominis rationem: istud verò eo quod aliud ipsi. vt si vestis album hominem significat, ille verò definiat vestem, vt album. quod autem est albus homo, est album quidem; non tamen quid erat esse albo homini, sed vesti esse. Vtrum quod quid erat esse, est quid, aut simpliciter, an non? ipsum enim quod quid erat esse, est ipsum quid erat esse. Cum verò aliud de alio dicatur, non est ipsum quod quid. vt homo albus non est ipsum quod quid. ipsum quidem quod quid substantijs solis inest. quare quod quid erat esse illorum est, quorumcunq; ratio est definitio. Definitio autem est, non si nomen idem, quod oratio significet (omnes enim sermones definitiones essent, erit enim nomen idem cuicunq; sermoni, quare & Ilias definitio erit) sed si primi alicuius sit. talia verò sunt, quæcunq; dicuntur, non eo quod aliud de alio dicatur. non ergo vlli eorum, quæ non sunt species generis, inerit quicquid erat esse, sed his solum. hæc enim videntur non secundum participationem, & passionem, nec vt accidens dici. Sed oratio quidem cuiusq; etiam aliorum erit quid significat. si nomen sit, quod hoc huic inest, aut pro simplici oratione, certior, definitio verò non erit, neq; quod quid erat esse. An definitio quoq; vt & ipsum quid est multipliciter dicitur? etenim ipsum quid est, vno quidem modo substantiam, & quod quid significat: alio verò singula eorum, quæ prædicantur, quantitatē, qualitatem, & quæcunq; cætera talia sunt. quemadmodum enim est ipsum est, inest quidem omnibus, non tamen similiter, sed huic quidem primò, illis verò consequenter: ita & quod quid est, simpliciter substantiæ, cæteris verò quodammodo. etenim interrogare possumus, quid est ipsum quale, quare & ipsum quale est eorum, quorum est quid est. non tamen simpliciter, sed sicut de non ente logicè quidem aiunt esse ipsum non ens non simpliciter, sed non ens, ita & ipsum quale. Oportet igitur & considerare,

derare, quomodo de quocunque dicere decet, non tamen magis, quàm quomodo se habet. quare nunc quoq; cum manifestum, quod dicitur, sit, ipsum etiam quod quid erat esse, similiter inerit, primò quidem & simpliciter substantiæ, deinde cæteris: sicut & ipsum quid, est non simpliciter quid erat esse, sed qualitati, aut quantitati quid erat esse. Oportet etenim aut æquiuocè ista esse, aut cum additione, vel ablatione. Sicut & quod non scibile, scibile. nam rectius est neq; æquiuocè dicere, neq; eodem modo: sed quemadmodum medicinale, eo quod ad idem quidem & vnum, non autem idem, & vnum. non tamen æquiuocè etiam. nullum etenim medicinale corpus, opus, & uas dicitur æquiuocè, neq; secundum vnum, sed ad vnum: sed hæc quidem quomodocunq; dicere quis velit, nihil differt. Illud autem manifestum est, quod quæ primò & simpliciter definitio, & quod quid erat esse, substantiarum est: at cæterorum quoq; similiter est, non tamen primò. Non enim est necesse, si hoc ponamus, huius definitionem esse quodcunq; oratione idem significat, sed quod aliqua oratione; hoc autem si vnius sit, non continuatione sicut Ilias, aut quæcunq; coniunctione, sed si quoties dicitur vnum. Vnum autem dicitur sicut & ens: ens autem quoddam, ipsum quoq; quod quid, quoddam quantum, quoddam quale quid significat. Quare & albi hominis erit oratio, & definitio, alio verò modo & albi, & substantiæ.

EXPOSITIO.

IN hoc, & in duobus sequentibus Capitibus inquirens quid sit illa substantia, quam quod quid erat esse appellat, incipit. Cum in principio; idest, cum in pręcedentibus diuiserimus quot modis substantiam determinamus. ex quibus quidem modis hic vnus, quod quid erat esse, videbatur, de eo, inquit,

quit,considerandum est. Posteà quanam ratione cognitio huiusmodi substantiæ quærenda sit,docet inquiens. Prodest etenim transcendere ad notius. ita nanq; disciplina fit omnibus; idest,prodest per minus nota naturæ transcendere ad magis nota. Vnaqueq; scientia secundum suam naturam habet sua propria prima principia, & suas caussas, ex quibus prout est sua natura demonstrat,& scientiam efficit. Quæ quidem prima principia vniuscuiusq; scientiæ in tali genere sunt maximè vniuersalia,& tūc in natura talis scientiæ scire putamus vnumquodq;, cum hæc principia cognoscimus.Quæ quidem cognitio dicitur, & simpliciter cognitio, & naturæ cognitio; idest,naturæ talis scientiæ cognitio. Et hęc cognitio est cognitio prior quoad naturam; idest, quoad natutam scientiæ,& est distincta cognitio quatenus suis caussis,suoq; ordine constat. Et hęc cognitio se habet ex opposito ad illam cognitionem,quę nobis est prior, & nobis notior, & sensui propinquior, quæ & confusa est, quatenus indistincta, & vniuersalis, est quatenus quoddam totum vniuersale est, quod multa, vt partes complectatur. Hæc confusa cognitio se habet ad distinctam,sicut se habent nomina ad definitiones. Nomen multa indistincta significat,quæ continet; definitio verò in partes,& in suo ordine distinguit. Ideò pueri omnes homines vocant primò patres; deinde vnumquemq; propria differentia distinguunt in partes. Ex quibus clarum est vnum,& eundem hominem,vt Socratem in vna consideratione esse quid vniuersale, in alia verò consideratione esse quid singulare. Id quod nullum est inconueniens, cum sit ad diuersa relatum: singulare est,quatenus pars hominis vniuersalis; vniuersalis verò,quatenus est quoddam totum ex anima & cor-

pore,

pore,ex forma,& materia,alijsq; partibus. His ita constitutis soluuntur omnes perplexitates, quibus expositores in expositione ex mente Aristotelis quid sit prius, quidue notius premuntur. Verum ad textum. Quod ait prodest transcendere ad notius. Hoc est perinde, ac si diceret. A notioribus nobis prodest transcendere ad notius naturæ talis cognitionis, scilicet ad simpliciter notiora, quæ vniuersali ratione cognoscuntur, idest, ad cognitionem primorum principiorum, prout est natura talis scientiæ. Tum pergit. Ita namq; disciplina fit omnibus. Hoc non secus est, ac si diceret. Ita natura omnibus insitum est, vt discant procedendo ex minus notis naturæ ad magis nota naturæ. Quod exemplo desumpto ex Iure Ciuili, & arte Medica declarat, dicens. Hoc oportere facere, sicut fit in actiuis ex eis, quæ cuiq; sunt bona, facere vniuersali ratione aphorismum, vel legem condere, quod dicat omnium bonum, vel simpliciter bonum. Et hoc denuò simpliciter bonum, vt sit vnicuiq; bonum: ita, ait ex sibi notioribus, quę sunt singula, per inductionem quę naturæ talis cognitionis sunt facere: hoc est, vniuersale principium facere, & posteà per hoc vniuersale principium denuò sibi nota facere. Ideò dixit. Prodest transcendere ad notius, quoniam tunc scire dicimur, cum caussas primas cognoscimus. Tum. Quæ autem, inquit, singulis nota, & prima quo ad nos sunt, sępenumero parum nota sunt, & parum entis, aut nihil participiant. Hoc est, species rerum, quę tantum in sensu sunt parum intellectiuæ cognitionis participant, & quandoq; nihil. Postremò ad suam rem ait. Attamen ex eis, quæ parum nota, sibi tamen nota sunt, conandum est cognoscere ea, quæ simpliciter nota sunt; hoc est, ea, quæ vniuersali ratione in sua natura

ſcientiæ nota ſunt, & per hæc ipſa tranſcendendo denuò ſibi ſimpliciter,& ex ſuis cauſſis cognita,& nota facere. Ac primò, ait, ſe velle Logicè de illo dicere. Logicè; ideſt, ſecundum rationem modi loquendi, quatenus in ſua conſideratione procedere videtur ordine prędicamentorum ſignificantium tum ſimplicia, tum compoſita, tum proprias,& per ſe paſſiones, tum denique & vnumquodq; totum. Ex notioribus nobis incipiens primò ait. Quod quid erat eſſe, vnumquodq; eſt, quod ſecundum ſe dicitur; ideſt, vnumquodq; in ſuo prædicamento eſt, quod quid erat eſſe. Ideò ſubiungit. Tibi eſſe, non eſt muſico eſſe; ideſt, aliud eſt tibi eſſe, aliud verò muſico eſſe; quatenus ſecundum teipſum non es muſicus. Ex quibus infert, Ergo quod ſecundum ſe dicitur eſſe, id eſſe, quod quid erat eſſe. Poſteà vt aliquid ex hac deſcriptione excipiat, ait. Nec tamen hoc totum; ideſt, nec hoc totum, quod huiuſmodi deſcriptione comprehenditur: Etenim licet & ſuperficies per ſe alba ſit; tamen ea, quæ per ſe hoc modo dicuntur non ſunt quod quid erat eſſe. Quoniam ſuperficiei eſſe non eſt albo eſſe. Poſteà ait. Nec hæc ambo ſimul ſumpta; ideſt, ſuperficies alba. Mox quærit cauſſam. Quare? Et reſpondet, quoniam hęc ineſt; ideſt, ſubſtantiæ ineſt album. Ergo per ſe non eſt. Ex quibus tanquam aliquid notius naturę huius cognitionis afferens ea, quę excipit, excludendo, ait. In qua ratione igitur ipſum dicente non inerit ipſum; ideſt, in ratione, in qua id quod dicitur, vel prædicatur non ineſt, ſicut accidens accidenti, vel accidens ſubiecto ineſt, hęc, ait, eſſe rationem ipſius quod quid erat eſſe cuique. Quod ſic probat. In accidentibus inuicem inhærentibus ipſa ſuperficies,& alba per ſe eſt, & læuis per ſe eſt ſi ſuperficiei albæ eſſe,

esset superficiei lęui esse, sequeretur albo esse, & lęui esse vnum, & idem esse, quod est falsum. Posteà quęrit rationem ipsius quod quid erat esse in vnoquoq; prædicamento in subiecto existenti; idest, in prædicamentis compositis cùm ipsa substantia. Ideò ait. Cum autem secundum cętera quoq; pręedicamenta etiam composita pręedicamenta sint, quatenus est aliquod subiectum cuique: quod est substantia. sicuti quali, quanto, quando, vbi, & motui. Perscrutandum ait, est. Vtrum sit ratio eius quod quid erat esse cuiq; horum; idest, cuiq; horum sic compositorum, & vtrum insit etiam his; idest (compositis) ipsum quod quid erat esse. In quibus verbis hæc tria, quę in considerationem cadunt notanda sunt. Primum vnumquodq; compositorum; idest, vnaquęq; res, aliud quod quid erat esse vnumquodq; horũ, tertium deniq; ratio ipsius, quod quid erat esse. In philosophia nanq; Aristotelis, & in suo modo philosophandi ita suo ordine hęc consequenter se habent. Posteà subiungit exemplum, vt homini albo, quod erat esse albo homini. De quo tanquam de composito, & simul sumpto, vt possit loqui, nomen illi imponit, inquiens. Sit autem nomen eius (vestis.) Posteà quærit quid est vesti esse? & statim respondet, nec hæc esse ex eis, quę secundum se dicuntur. cuius responsionis, vt rationem reddat ait. An id, quod non secundum se est dupliciter dicitur: quorum alterum quia ex additione dicitur, non secundum se dicitur; alterum verò quia ex additione non dicitur; ideo non secundum se dicitur. De primò ait. Hoc verò, quod non secundum se dicitur, quoniam ipsum, quod definitur alteri adijcitur: sicut si albo esse definiens cogaris dicere albi hominis rationem; idest, si accidens definies oportebit rationem substantiæ dicere

cere ratione accidentis. Qua propter quod quid erat esse albi hominis,non est id,quod per se dicitur, sed vt necesse est, vt per se dicatur. De altero ait. Istud verò quod aliud ipsi; idest,quod aliud ipsi non adijcitur.sicut si (quemadmodum supposuimus)vestis albũ hominem significat, si quis vestem definiat, vt album, sequeretur, hoc quod est albus homo,esse album quidem non quid erat esse albo homini, sed quid erat vesti esse. Quibus perspectis, vt ostendat,quod quid erat esse substantijs solis inesse,querendum proponit.Vtrum quod quid erat esse est quid? & sint ne simpliciter quid,an non? Quid simpliciter est substantia; quid autem, quod non dicitur simpliciter,significat cetera accidentia. Cui quæsito ita respondet.Ipsum quod quid erat esse,est ipsum quid erat esse: quod est quid per se ipsum,& in se ipso quodam modo dictum. Atq; vt id quod non est quod quid erat esse ostendat, ait. Cum verò aliud de alio dicatur, hoc tale non est ipsum quod quid. Sicut homo albus. Nam duo hæc sunt, homo, & albus, quod quid autem vnum est. Propterea quod quid substantijs solis inest. Ex quibus infert. Quare quorumcunq; ratio est definitio,illorum est quod quid erat esse.Quamuis autem definitio oratio sit,quæ oratio idem, quod & eius nomen significat; non sequitur tamen omnem orationem significantem quod & eius nomẽ significat definitionem esse. Iccircò ait. Definitio est non si nomen idem,quod & oratio significat. Quoniam tali ratione omnes sermones termini; idest,definitiones essent; quatenus cuique sermoni est suum nomen. Quare & Ilias Homeri definitio esset. Verum quoniam dixerat quod quid erat esse eorum esse,quorum ratio definitio est, non tamen omnium,quorum definitio est,etiam quod quid erat esse est.

ſe eſt. Propterea, ſubiungit, Sed ſi primi alicuius ſit; id-eſt, ſi definitio alicuius primi ſit horum eſſe quod quid erat eſſe. Nam & vniuerſalium ſicut ſunt genera eſt definitio, & tamen non exiſtit eis quod quid erat eſſe. Quapropter, ſubiungit. Talia verò ſunt; ideſt, Talia, quę de primis dicuntur, ſunt quę dicuntur immediatè, & non aliud de alio dicitur, ſicut genus, quod prædicatur de alio, & alio; ideſt, de ſpecie, & de ſubiecto; ideſt, de ſingulari, quam appellat primum aliquid. Ex quibus infert. Non ergo vlli eorum, quæ non ſunt ſpecies generis exiſtens eſt quod quid erat eſſe, ſed ijs ſolum. Et ſubiungit. Hęc enim videntur; ideſt. Hæ ſpecies generis videntur prædicari non ſecundum participationem, velut genera, neque ſecundum paſſionem, aut ſecundum accidens. De alijs verò, quæ in prædicamentis ſunt, ait. Sed oratio etiam cuiuſq; aliorum erit, quę quid ſignificat, ſi nomen ſit, quod hoc huic ineſt; ideſt, ſi oratio talium eſt, & ſubiungit. Aut pro ſimplici oratione certius nomen ſignificans. Etenim, ſimum, eſt nomen concaui naſi, concauus naſus eſt oratio, certior ſignificatus nominis eſt, quàm orationis. Talium, ſubiungit; ideſt, talium accidentium definitio non erit, neque quod quid erat eſſe. Ex quibus colligitur conſideranda eſſe ea, quę ſunt hoc aliquid, vel cum complexione, vel ſine complexione quæ ſunt dicta. Deinde quod quid erat eſſe, & quid erat eſſe vnumquodque eorum, tum ratio, vel definitio, vel oratio vniuſcuiuſq; eorum. Quia verò dixerat, accidentium non eſſe definitionem, nec quod quid erat eſſe: hoc intelligendum eſt abſolutè loquendo. Poſteà aliquo modo ait poſſe dici, & definitio, & quod erat eſſe, inquiens. An definitio quoq; vt & ipſum quid eſt, multipliciter dicitur? Quod vt probet, ait Etenim

ipſum quid eſt vno modo ſubſtantiam, & quid ſignificat; alio modo ſingula eorum, quæ prædicantur; ideſt, quæ in prædicamentis ſunt; ſicut quantum, quale, & quęcunq; alia, quæ accidentia ſunt. Communiter omnes putant in abſtracto hæc eſſe dicta ab Ariſtole, quod plurimis alijs locis affirmant, toto vt dicitur, cęlo à veritatis via manifeſtè aberrantes. Hoc modo, ait, & ipſum ens ineſt omnibus, non tamen ſimiliter, ſed huic primò; ideſt, ſubſtantiæ primò, alijs verò; ideſt, accidentibus conſequenter. Ita, inquit, & quod quid eſt ineſt ſimpliciter ſubſtantiæ, cęteris verò quodammodo. Quod vt probet, ait. Etenim interrogare poſſumus quid ſit ipſum quale? ex quo planum eſt ipſum quale, eſſe eorum, quorum eſt quid eſt. Non tamen, inquit, ſimpliciter, ſed ſicut de non ente Logicè quidam aiunt eſſe non ens. Logicè; ideſt, in rationibus aiunt eſſe non ens non ſimpliciter eſſe, ſed non ens eſſe. Ita & ipſum quale eorum eſt, quorum eſt quid, non ſimpliciter quid, ſed quodam modo quid. Verum quoniam cęteri omnes, qui vſq; ad eius tempora philoſophati ſunt, vel metaphoris, vel fabulis Poeticis, vel demum aliquo alio ineptiore modo, quàm res tantæ dignitatis, & authoritatis exigit, ſua ſcripta inuoluerunt, præſertim verò tempeſtate Ariſtotelis maiore ſtudio laborantes quomodo ea, quę ſunt dicerentur, quàm quomodo in ſeſe haberent. Ob quam cauſſam in Academia ſubſtantias putabant vniuerſalia, Ideas numeros, & magnitudines, quatenus in modo loquendi ſeparatim quid per ſe exiſtens ſonant, quod quanquam proprium ſubſtantię eſſe videtur; tamen nihil horum eſt ſubſtantia, ſed omnia, vel de ſubſtantijs prędicantur vel in ſubſtantijs inſunt. Ariſtoteles verò ſuis proprijs terminis ipſas res, vt ſenſu videntur, ſignifican-

ficantibus, communi, & vsitato modo loquendi, metho. do, quam ipsa natura scientię exigit, de qua agit videtur philosophari. Maximè verò in hoc septimo Metaphysicæ Libro, in quo de substantia generabili, & corruptibili, & de principijs eius, & caussis accuratè disceptat. Ideò vt & argutè, & modestè notet sui temporis philosophantes, vtque suæ philosophiæ egregiam institutionem commendet; præsertim verò huius capitis, in quo de substantia quod quid erat esse quàm diligentissimè inquirit, & instituit. In cuius quidem institutione tota ratio rectè in hoc genere philosophiæ philosophandi consistit. Oportet igitur, inquit, considerare quomodo de quocunq; dicere decet, non tamen magis quàm quomodo se habeat. Hic terminus (quod quid erat esse) significat vnumquodque, quod secundum se dicitur. Quare non significat passionem, nec accidens absolutè, sed substantiam, ipsiq; substantiæ singulari inest. Ideò dicitur, quod quid. Dicitur esse. Quia est species à materia separata. Dicitur erat, non autem, est, vt verum dicat. Quoniam species in materia existens est separabilis ita vt post separationem eadem sit, quę in materia erat. Ideò dicitur, erat, vt verum, inquam, dicat, non autem dicitur, est, quia falsum diceret, quatenus abscissa manus non dicitur verè, manus. Quod si quis diceret, hoc erat manus, verum diceret, quia re uera tunc erat manus, cum erat viua. De quibus partim supra dictum est, partim verò in processu huius Libri suis locis dicetur. Iam verò quia hic terminus est, vt dixi, basis, & fundamentum rationis philosophiæ Aristotelis, à nemine philosophantium adhuc pro tali habitus, sed primò fortasse aspectu peregrinus, & incognitus visus; ideò mirandum non est, si hoc in loco prępostere de illo egerim.

rim. Ad verba Aristotelis more nostro exponenda reuertamur. Quoniam exempla ex significatione entis,& ex significantione non entis adduxerat,vt declaret quomodo quid est,etiam alijs quàm substantiæ congruat, quàmuis impropriè, & quoniam illa exempla omnibus manifesta sunt; ideo ait.Quare nunc quoq; cum manifestum sit; idest,id quod exempli gratia dixerat. Ideò manifestum esse patet, & ipsum quid erat esse primò, & simpliciter inesse substantiæ,deinde cęteris accidentibus,sicut & de ipso quid est, dixerat. Non quòd accidentia simpliciter quid erat esse sint: sed quid erat esse quali, aut quanto. Quod quidem quale aut quantum non quid per se sunt,sed alicuius esse,non autem per se esse. sicut substantia per se dicitur esse.Deinde,ait,ista; idest, quando accidens quid erat esse dicitur, oportet, aut æquiuocè esse,quorum nomen idem est, ratio verò diuersa; aut cum additione esse. Vt cum definimus accidens,in eius ratione necesse est rationem dicere substantiæ,vt in ratione albi ipsius Socratis, rationem Socratis dicimus, vel quando album Socratis significare volumus,auferentes rationem subiecti,quod est Socrates. Similiter & quando non scibile scibile dicimus,quę necesse est,vt cum additione, vel ablatione significent aliud, & aliud.Ob quę inconuenientia dicit. rectius est neq; æquiuocè dicere, neque eodem modo: sed sicut medicinale dicitur ad aliquid; idest ad medicinam. medicinalia sunt tum potio,tum vas,tum cultellus,quorum vnumquodq; medicina dicitur; ad medicinam tamen relatum,cum nullum eorum medicina simpliciter sit. Ideò ait,eo quod ad idem,& vnum,non autem idem, & vnum sunt. Posteà ait, nec æquiuocè ista dici, quod ita probat. Nemo dicit æquiuocè eadem est medicinale

nale

nale corpus, quod eſt ſubiectum medicinæ, opus, quod eſt medicatio, & vas, quo miniſtratur medicinæ; tamen vnumquodq; horum ſanum dicitur, ad vnum; ideſt ad ſanitatem relatum, neq; ſecundum vnum modum dicendi, ſed ad vnum; ideſt ad ſanitatem corporis relata; tametſi corpus tantùm, ſimpliciter loquendo ſanum ſit. Ac ſubiungit. Sed hæc quomodocunq; quis dicere velit, nihil differre. Quod intelligendum eſt ex prædictis modis dicendi; ideſt, vel ęquiuocè, vel cum additione, vel cum ablatione, vel analogicè quis voluerit dicere quid erat eſſe accidentium. Illud tamen, ait, manifeſtũ eſſe, quę primò, & ſimpliciter definitio, & quod quid erat eſſe, eſt, ſubſtantiarum eſſe, cęterorũ verò eſſe aliquo modo, ſed non primò, nec ſimpliciter. Poſteà vt declaret quid ſit definitio, ait. Nõ eſt neceſſe, ſi (verbi gratia) hoc ponamus, quod definire volumus, & hoc poſitum aliqua oratione quam veriſſime ſignificetur, illam orationem definitionem illius poſiti eſſe; ſed definitionem eſſe aliquam orationem, quę oratio vnius ſit, & hoc vnum non vnũ, ſicut Ilias Homeri ex multis fabulis vna oratio eſt; vel vnum, quod quacunq; coniunctione vnũ ſit; ſed hoc vnum oportet eſſe eo modo, quo in Quinti Libri Capite ſexto dictum eſt. De definitione in alio loco huius capitis egit, quatenus definitio eſt alicuius primi, in hoc verò quatenus definitio eſt vnius ratio, in duodecimo verò capite huius Libri videndum erit quatenus definitio eſt ratio vna unius. Poſteà quæ de definitione dixerat, vt breuiter repetat, ait. Vnum dicitur ſicut & ens. Quoddam ens ſignificat ipſum quod quid, quoddam quantum, quoddam quale quid. Quod quid ſubſtantia eſt, quantum, accidens, quod quale, ſubſtantia cum accidente. Ex quibus infert. Quare & albi hominis erit

oratio

oratio, & definitio, ſed alio modo albi; ideſt accidentis, vel albi hominis; ideſt, ſubſtantiæ cum accidente, alio verò ſubſtantiæ.

CAPVT V.

Habet autem dubitationem, ſi quis non dicat definitionem eſſe eam, quæ ex additione fit orationem; cuius erit definitio non ſimplicium, ſed copulatorum? ex additione enim neceſſe eſt manifeſtare. dico autem vt puta eſt naſus, & concauitas, & ſimitas, quod ex ambobus dicitur eo quod hoc in hoc, & non ſecundum accidens, neq; concauitas, neq; ſimitas paſſio naſi, ſed ſecundum ſe, nec vt album Calliæ, aut homini: quoniam Callias albus, cui accidit homini eſſe, ſed vt maſculum animal, & æquale quanto, & cuncta, quæ per ſe eſſe dicuntur, hæc ſunt, in quibus ineſt aut ratio, aut nomen eius, cuius hæc paſſio eſt. & non contingit ſeparatim oſtendere, ſicut album abſq; homine contingit. ſed non fœmininum abſq; animali. quare iſtorum quod quid erat eſſe & definitio, aut nullius eſt, aut ſi eſt, aliter eſt, quàm quemadmodum diximus. eſt autem alia quoq; de eis dubitatio. ſi enim idem ſimus naſus, & concauus naſus, idem erit ſimum, & concauum, quod ſi non, propterea quòd impoſſibile eſt dicere ſimum abſq; ipſa re, cuius per ſe paſſio eſt, & ſimum erit concauitas in naſo, naſum ſimum aut non eſt dicere, aut bis idem erit dictum, naſus naſus concauus. naſus namq; ſimus naſus, naſus concauus erit propter quod inconueniens eſt talibus ineſſe, quod quid erat eſſe; quod ſi non in infinitum progredietur. naſo namq; naſo ſimo aliud inerit. Patet igitur, quod ſolius ſubſtantiæ definitio eſt. ſi enim & cæterorum quoq; prædicamentorum neceſſe ex additione eſſe, vt qualitatis, & imparis, non enim ſine numero. nec huius, quod eſt fœmininum, ſine ani-

ne animali, ex additione autem dico, in quibus accidit bis idem dicere, ſicut in iſtis. quod ſi hoc verum eſt, neque copulatorum erit: vt puta numeri imparis. Sed latet, quòd nunc non accuratè dicuntur orationes. ſi autem & iſtorum ſunt definitiones, aut alio modo ſunt, (aut ſicuti dictum eſt) multipliciter eſt dicendum definitionem, & quod quid erat eſſe. oratio, & quod quid erat eſſe, aut ſubſtantiarum ſolum eſt, aut maximè primò, & ſimpliciter, manifeſtum eſt.

EXPOSITIO.

QVoniam in ſuperiore capite dictum fuit definitionem non eſſe eam rationem, quæ ex additione ſit; ideò in pręſenti ait hoc dubitationem habere; ideſt, meritò poſſe dubitari cuiuſnam, vel quorumnam definitio erit? Quatenus quæ ſunt, vel ſine complexione, vel cum complexione ſunt; ideſt vel ſimplicia, vel copulata. Itaq; ait. Definitio non erit ſimplicium, ſed copulatorum, ob hanc cauſſam, quoniam, ait, ea quę manifeſtantur neceſſe ex additione manifeſtari. Quod hoc exemplo probat. Eſt naſus, eſt concauum, & eſt ſimum, quod ex ambobus; ideſt, ex naſo, & ex concauo dicitur eſſe; eo quia hoc in hoc non ſecundum accidens, ſed per ſe paſſio naſi eſt, tum concauitas, tum ſimitas per ſe naſo, non autem vt accidens inſunt; quamuis accidentia ſint. Quare, ait, non inſunt per accidens, ſicut album Callię, aut homini; ſed ſubiungit, hæc naſo ineſſe, ſicut maſculum animali, & ſicut æquale quanto, & etiam ſicuti cuncta alia, quæ per ſe eſſe dicuntur. Hęc autem, ſubiungit, ſunt, in quibus ineſt aut ratio, aut nomen eius, cuius hæc paſſio eſt. Item. Hæc, inquit, non contingit, vt ſeparatim alterum ab altero, ſicut contin-

 git,

git, vt album absq; homine ostendatur. Sed sicut non contingit, vt fęmininum absque animali ostendatur; ita & simum absq; naso. Quare aut nullius, ait, est definitio, & quod quid erat esse; aut horum est, aut aliter est, quàm illo modo, quo dictum est. Posteà aliam dubitationem de eisdem esse ait. Si idem simus nasus, & concauus nasus est, necessariò sequitur idem simum, & concauum esse. Deinde dicit. Quod si non sunt idem simum, & concauum, sicut fieri non potest, vt ea idem sint, cum simum absque carne fieri non possit, vt dicatur; idest; absq; ipsa re, cuius est per se passio, simũ autem est concauum in naso: sequitur, quòd nasum simum aut non est dicere, ob tale inconueniens; aut bis idem erit dicere; idest, nasus, nasus concauus. Propterea, subiungit, nasum simum, nasum, nasum concauum esse. Ex quibus infert, inconueniens esse inesse talibus quod quid erat esse. Quod si quis concesserit talibus inesse quod quid erat esse; ex tali concessione sequeretur processus in infinitum. naso namque naso simo, alium nasum inesse. Ex quibus sequitur non solum passionum accidentaliter inhærentium, sed etiam passionum per se inhærentium non esse definitionem. Quamobrem ex ijs rationibus ait patere solius substantiæ definitionem esse. Si etiam, subiungit, cęterorum prædicamentorum definitio est, necessario ex additione eorum definitionem esse, vt qualis, & vt imparis. Imparis sine numero non fit definitio, nec fęminini sine animali. Deinde declarat quid sit definitio ex additione, inquiens. Ex additione definitionem esse, in quibus fit, vt bis idem dicatur. sicut impar definitur esse numerus, qui in duo ęqualia nequit diuidi. fęmina verò definitur esse animal in coitu passiuè se habens. Deinde ait. Quod si hoc verum est,

neque

neq; copulatorum definitio erit: quę copulata ſunt per inde vt numerus impar. Quare, ait, numeri imparis non eſſe definitionem; ſed, ait, hoc latere, & non eſſe ita per ſpicuum, ſicut eſſet, ſi huiuſmodi copulata ſua propria nomina haberent: ſicut concauus naſus habet nomen, ſimum. Ideò ait, ſed latet, quia nunc non dicuntur accuratæ orationes. Poſteà de definiendis aliquo modo etiam ijs ait. Si autem & iſtorum ſunt definitiones, aut alio modo ſunt, quaterus non accuratè ſuis nominibus videntur ſignificari; aut ſicut, dictum, ait; eſt, definitio multipliciter dicitur, etiam quod quid erat eſſe multipliciter dici. Ex quibus infert. Quare quodammodo nullius aliorum erit definitio; nulliq; inerit quod quid erat eſſe, niſi ſubſtantijs. Et quodammodo etiam aliorum erit definitio, & inerit quodammodo quid erat eſſe. Ex quibus concluſionem inferens, ait. Quod igitur definitio eſt, ipſius quid erat eſſe ratio. Manifeſtum eſſe. Et quod quid erat eſſe, aut ſubſtantijs ſolis ineſſe, aut maximè, & ſimpliciter, & primò ſimiliter manifeſtum eſſe. Ex quibus patet ſubſtantię ineſſe quod quid erat eſſe, & definitionem eſſe rationem ipſius quod quid erat eſſe.

CAPVT VI.

VTrum autem idem eſt, an aliud ipſum quid erat eſſe, & vnumquodq; perſcrutandum. proderit enim aliquid ad conſiderationem de ſubſtantia. nam & vnumquodq; non videtur aliud eſſe à ſua ſubſtantia. & ipſum quid erat eſſe, dicitur eſſe vniuſcuiuſq; ſubſtantia. De ijs igitur, quæ ſecundum accidens dicuntur videri poſſit aliud eſſe. vtputa albus homo aliud

est, & albo homini esse. Si enim idem homini esse, & albo homini idem: idem namq; homo, & albus homo, vt aiunt. quare & albo homini, & homini. An non necesse est quæcunq; secundum accidens eadem esse? non enim extrema, similiter eadem fiunt. sed fortassis illud videatur accidere, extrema eadem secundum accidens fieri: vtputa albo esse, & musico esse. Videtur autem minime. de ijs autem, quæ per se dicuntur, semper necesse est eadem esse. vt si quæ substantiæ sunt, quibus diuersæ substantiæ non sunt, nec aliæ naturæ priores. quales aiunt aliqui esse Ideas. si enim erit aliud ipsum bonum, & bono esse: & animal, & animali esse, & enti ipsum ens, erunt & aliæ substantiæ, & naturæ, ac Ideæ, & præter eas, quæ dicuntur, & illæ priores substantiæ, si ipsum quod quid erat esse, substantiæ est. Et si absolutæ abse inuicem, harum quidem non erit scientia, illæ uerò non erunt entia: dico autem absolui, si nec ipsi bono est esse bono: nec huic esse bonum. scientia namq; cuiusq; hæc est, quod quid erat illi esse & de bono, & de cæteris similiter se habet. Vnde si neq; ipsi bono esse bonum. nec ipsi enti ens, nec ipsi vni vnum, similiter autem omnia sunt, certè nihil est quod quid erat esse. quare si nec ipsi enti ens, nec aliorum alicui. Item cui non inest bono esse, non bonum est, necesse est igitur vnum esse bonum, & bono esse, & honestum, & honesto esse, quæcunq; non per aliud dicuntur, sed prima, & per se. Etenim hoc sufficiens est si existit, etiamsi non sint species. fortassis autem magis, si species sint. Simul autẽ patet etiã, quod si Ideæ sunt. quales eas quidã aiunt, quod etiam non erunt subiectum substantia. has enim substantias quidem necesse est non de subiecto quidem esse: essent enim secundum participationem. Ex ijs itaque rationibus vnum & idem est non secundum accidens ipsum vnumquodque, & quod quid erat esse. & quod scire vnumquodq; hoc est ipsum quid erat esse, scire. quare secundum expositionem necesse est vnum quiddam ambo esse. Quod autem secundum accidens dicitur,

vt musicum, & album, propterea, quod, duplex significat, non est verum dicere, quod idem sit, quod quid erat esse: & ipsum. Etenim cui accidit album, & accidens: quare quoddammodo quidem est, quoddammodo verò non est idem, quod quid erat esse & ipsum: homini namq; & albo homini non est idem: passione verò, idem. Absurdum autem apparet, & si quis vnicuique ipsorum quid erat esse, nomen imponat. erit namq; etiam præter illud aliud quod quid erat esse equo: at verò quid prohibet nunc quoq; è vestigio esse quædam quid erat esse, si substantia quidem est, quod quid erat esse? enimverò non solum vnum, sed ratio etiam eorum eadem, vt ex dictis patet: non enim secundum accidens vnum vni esse, & ipsum vnum. Item si aliud erit, in infinitum procedet. Etenim hoc quidem erit, quid erat esse, vni esse: illud verò vnum. Quare de illis quoq; eadem ratio erit. Quòd igitur de primis, & quæ per se dicuntur, vnicuiq; esse, & vnumquodq; idem, & vnum est patet. Sophisticæ autem ad hanc positionem redargutiones, manifestum est, quòd eadem solutione soluuntur: etsi idem Socrates, & Socrati esse nihil enim differt, nec ex quibus aliquis interrogauerit, nec ex quibus soluens obtinuerit. Quo igitur modo idem cuiq; est, quod quid erat esse, & quomodo non idem, dictum est.

EXPOSITIO.

QVoniam Metaphysici est de substantia speculari, & quoniam inter alias questiones huc spectantes est inquirere quomodo se habeant ad inuicem, quod quid erat esse, & vnumquodque eorum, quę sunt hoc aliquid, tum quoad substantiam, tum quoad accidentia, tum etiam quoad substantias separatas; idest, Ideas, quas Plato ponit, si quæ essent. Ideò in hoc

capite

capite primò quærit. Vtrum idem ſit, an aliud ipſum quod quid erat eſſe, & vnumquodq; quod eſt hoc aliquid,& cuius eſt ipſum quod quid erat eſſe? Perſcrutandum hoc,inquit,eſſe,quoniam proderit aliquid ad conſiderationem,quam de ipſa ſubſtantia inſtituimus. Ac primò ait eſſe idem quid erat eſſe,& vnumquodq; quoad ſubſtantiam. Eo quia vnumquodque,inquit,non videtur aliud eſſe à ſua ſubſtantia: ipſumq; quid erat eſſe dicitur eſſe vniuſcuiuſq; ſubſtantia. Sed de ijs, quæ ſecundum accidens dicuntur, aliud, inquit, videtur eſſe, quod quid erat eſſe: aliud autem vnumquodq; eorum: ſicut albus homo aliud, & aliud albo homini eſſe. Quod ſic probat. Si idem,inquit,homini eſſe, & albo homini idem eſſet; ſequeretur idem eſſe hominem, & album hominem,ſicut ſophiſtæ dicunt. Ideò albo homini, & homini eadem competerent. Quod non eſt verum, quatenus alterum eſt quid, alterum verò quale quid. Quapropter vt veritatem patefaciat, ait. An ea, quæ ſecundum accidens dicuntur, non eſt neceſſe, vt eadem ſint,quæ quidem accidentia extrema appellat; ideſt,extrema ſubſtantiæ,cui tanquam ſubiecto inſunt, ſuntq; quoddammodo extra, & circa id, quod propriè ens dicitur. Quanquam autem idem homo per accidens poteſt eſſe,& muſicus,& albus,& per accidens poſſit dici albus muſicus,& muſicus albus; alia tamen ratio muſici,alia verò albi,nec ſunt eadem, nec conuertibiliter vnum fiunt,muſicus albus, nec albus muſicus. Quapropter ait. Non enim extrema ſimiliter eadem fiunt. Sed fortaſſis,ſubiungit,videtur accidere,vt extrema eadem ſecundum accidens fiant;ſicut albo eſſe,& muſico eſſe. Verum quoniam hoc non eſt verum, quatenus muſico eſſe, & albo eſſe diuerſa ſunt, eſſe, ideò ſubiungit.

git. Videtur autem minimè. Posteà si etiam Ideæ essent; quærit an Idea,& quod quid erat esse idem esset? Quæ quidem Idea quia per se dicitur esse,ideò ait. De ijs autem,quæ per se dicuntur semper necesse est,quod quid erat esse,& vnumquodque eorum,quæ per se sunt eadem esse,sicut de substantijs probatum est. De Ideis, vt probet,ait. Vt si quæ substantiæ sint, quibus diuersæ substantiæ non sunt,nec aliæ naturæ priores. Quia verò ab ijs,qui ponunt Ideas, Idea ita describitur, ideò subiungit. Quales aliqui aiunt Ideas esse. Postea sic argumentatur. Si erit aliud ipsum bonum(quod est Idea) & aliud bono esse,quod est,quod quid erat esse; similiter & animal & animali esse: Similiter & enti Idea, & ipsum ens,aliud,& aliud,necessariò sequitur contra prę suppositum,alias & alias substantias,& naturas,& Ideas esse,præter eas Ideas,quę dicuntur esse,& tales substantias esse priores, quàm Ideas, propter hanc rationem, ait. Si ipsum quod quid erat esse substantię est,sicut per totum hoc, & duobus proximè superioribus capitibus probatum est, quod quid erat esse substantiarum esse. Posteà aliam huiusmodi cōsiderationem facit. Si quod quid erat esse, & Ideæ, absoluta ab se inuicem essent ita,vt alterum alterius non esset, quomodo se haberet vnumquodq; horum hoc modo? Quod si absoluta ab se inuicem essent: idest, Ideæ, & quod quid erat esse; harum,inquit; idest,specierum,quę sunt quod quid erat esse, non erit scientia; illæ verò; idest, Ideæ non erunt entia. Posteà declarat quid sit id,quod ait, abse inuicem absolutum,inquiens. Si nec ipsi bono est esse bono; nec huic, idest, quod quid erat esse esse bonum. Non aliter,ac si diceret. Si ipsi Ideæ quod quid erat esse non esset quod quid erat esse; nec ipsi quod quid erat

esse,

esse,esset Idea. Verum quoniam(vt in tertio de anima, & initio Primi Libri de Interpretatione est videre) species rerum sunt in anima cognoscente,non autem ipsę res. Hę autem species,quę primò sunt,sunt eadem apud omnes homines; suntq; quodammodo ipsę res,quarum species sunt,& pro rebus supponuntur. Ideò in hoc sensu ait animam esse quodammodo ipsa scibilia,quorum habet scientiam. Item (vt in hoc septimo Libro est videre)quod quid erat esse,est species rei quæ apud omnes homines,vt diximus,primò eadem est. Item quoniam ratio, est ratio ipsius quod quid erat esse, quod quid erat esse autem,& vnumquodq; secundum substantiam idem sunt. Scire enim quod quid erat esse,est scire vnumquodque. Propterea hic ait. Scientia namque cuiusque,hæc est quod quid erat illi esse; idest,illi,cuius scientiam dicimus. Sicut in proposito de bono, & de cęteris se habet; idest,de animali, & de ente. Atque vt etiam hæc ipsa magis ita se habere ostendat,subiungit. Vnde si neq; ipsi bono est esse bonum, nec ipsi enti est esse ens,nec vni esse vnum. Quoniam verò omnia,quę sunt,similiter se habent; ideò de omnibus,ait dicendum similiter. Quamobrem si ita esset,nihil esset quod quid erat esse; nec enti ens, nec aliorum alicui. Atqui hoc modo ipsius quod quid erat esse, non esset scientia. Posteà vt etiam probet illa non esse entia, dicit. Item cui non inest bono esse: idest,bono,cui non inest quod quid erat esse, non bonum est; idest, non est ens. Ex quibus infert necessariò sequi vnumquodque & quod quid erat esse illud idem esse, inquiens. Necesse est vnum esse bonum,& bono esse; & honestum,& honesto esse. Sic & de quocunque quod non dicitur secundum aliud,sed primò,& per se,vt in superioribus patuit.

Verum

Verum quoniam hæ rationes ad probationẽ sufficiunt, vt quod quid erat esse,& vnumquodq; idem sint, etiam si non essent Ideæ; idest,substantiæ separatæ,licet magis,& manifestius si essent Ideę,probarent. Ideò ait. Etenim hoc sufficiens est,si existit,hoc est,Si est hęc prima substantia,quæ propriè existere dicitur. etiam si nõ sint species: idest,Ideæ,fortassis autem magis,si Ideę essent. Verum quoniam his rationibus etiam potest probari Ideas vel non esse,vel certè eas aliquam partem harum substantiarum esse,ipsas verò non esse substantias;iccirco ait. Simul autem patet etiam. Si Ideæ sint,quales eas esse quidam aiunt,secuturũ hoc inconueniens,substantiam nimirum non esse subiectum,propter hanc rationem. Quoniam has substantias; idest,Ideas ponunt esse ita,vt de alio subiecto non dicantur,nec in alio subiecto sint. Quapropter hæ substantiæ,quæ propriè, & primò sunt substantiæ nõ essent tales,sed per participationem substantiæ. Id quod est absurdum. Quare concludendo ait. Ex ijs itaq; rationibus vnum,& idem est(non tamen secundum accidens)ipsum vnumquodque,& quod quid erat esse. Quia verò hoc est scire vnumquodque, quod scire ipsum quod quid erat esse. Ideò subiungit. Quare secundum expositionem necesse est vnum quiddam ambo esse.Quid sit hæc expositio planum fit legenti digressiunculam superiorem de cognitione rerum, & earum specierum.Quas species quodammodo diximus res esse. Denuò vt probet id quod secundum accidens dicitur,& quod quid erat esse,non esse idẽ,ait.Quod autem secundum accidens dicitur: vt musicum aliquid,aut albũ aliquid. Propterea quod duplex quid significat;ideò non est verum dicere idem esse quod quid erat,& ipsum cui accidit esse album,& accidens. Aliud enim est sub-

ſtantia, aliud verò ſubſtantia cum accidente. Quia verò quid duplex ſignificat. Ideò ſubiungit. Quare quodam modo quidem eſt, & quodammodo non eſt idem, quod quid erat eſſe, & ipſum: ſicut homini, & albo homini nõ eſt idem; paſſione verò; ideſt ſubiecto, vtputa ipſi homini, idem. Poſteà quoddam dubiũ proponit, inquiens. Abſurdum poſſe alicui apparere ſi quis vnicuique quod quid erat eſſe nomen imponat, ſequeretur præter illud quod quid erat eſſe, cui nomẽ fuit impoſitũ, aliud quod quid erat eſſe, eſſe. Quod hoc exemplo declarat, quod incuria impreſſionis in aliquibus codicibus non reperitur, dicens. Præter quod quid erat eſſe equi, aliud quod quid erat eſſe erit. Cui reſpondet nihil obſtare quominus è veſtigio ſint quædam quid erat eſſe, ſicut eſt ſubſtantia eſt quod quid erat eſſe. Quare ſubiungit. Enimuerò non ſolum vnum ſunt ſubſtantia, & quod quid erat eſſe, ſed & ratio eorum eadem eſt. Sicut, ſubiungit, ex dictis ſuperius patet ibi, vbi dixit. Secundũ expoſitionem eadem. Ad quorum confirmationem ait. Non enim ſecundum accidens vnum, vni, & ipſum vnum eſſe. Poſteà ſic argumentatur. Item in infinitum procederet, quod eſt inconueniens, quod quidem propoſitum ita confirmat. Etenim hoc quidem erit quid erat eſse, vni eſse, & illud erit vnum. Ideò, dicit, illorum eadem ratio erit. Ex quibus poſtremò, ait, patere primorum, quæ prima per ſe dicuntur, vnicuiq; eſse; ideſt; vnicuiq; quod quid erat eſse, & vnumquodq; vnum, & idẽ eſse. Verum quoniam contra hanc determinationẽ ſophiſtę habent quaſdam apparentes fallacias, vt in Libri ſecundi Elenchorum capite tertio in fine, & initio huius capitis legere eſt; ideò facilè illas ait ſoluendas prædictis rationibus quomodocunque.

CA-

CAPVT VII.

Eorum autem quæ fiunt quædam natura, quædam arte, quædam à casu fiunt: omnia verò quæ fiunt, & ab aliquo, et ex aliquo, ac aliquid fiunt. aliquid verò dico, secundum quodq; prædicamentum. aut enim hoc, aut quantum, aut quale, aut vbi. generationes uerò naturales quidem hæ eorum sunt, quorum generatio ex natura est, ex quo autem fit ea est, quam materiam dicimus. à quo verò quippiam, eorum est, quæ natura sunt, ipsum autem aliquid homo, aut planta, aut quicquam aliud similium, qua maximè dicimus substantias esse. Cuncta verò, quæ aut natura, aut arte fiunt, habent materiam. possibile enim est esse, & non esse eorum vnumquodque. Hoc autem cuiq; materia. Vniuersaliter verò, & id, ex quo natura, & illud per quod natura. quod enim fit, habet naturam, vt planta, vt animal. Et à quo, natura, quæ secundum speciem dicitur, quæ eiusdem speciei est: hæc autem in alio est. homo namq; hominem generat. sicut igitur fiunt, quæ ob naturam fiunt. cæteræ verò generationes, dicuntur effectiones. Omnes autem effectiones, aut ab arte, aut à potestate, aut ab intellectu. harum autem quædam etiam à casu fiunt, & à fortuna, perinde atq; in ijs quæ à natura fiunt. quædam enim & illic, eadem & ex semine, & absq; semine fiunt. de ijs itaq; posteà considerandum est. ab arte autem fiunt, quorum species in anima. speciem autem dico, ipsum quid erat esse vniuscuiusque, & primum substantiam. Etenim contrariorum quodammodo eadem species est. priuationis namque substantia opposita substantia, vt sanitas ægritudinis. Illius namq; absentia ostenditur ægritudo. Sanitas verò, quæ in anima, & in scientia est. Fit itaq; sanum, ita intelligente. Cum hoc sanitas sit, necesse est si sanitas erit, hoc fieri: vtputa æqualitatem. quodsi hoc, caliditatem. & ita sem-

per intelligit, donec redigat in illud, quod ipse potest ultimum facere: deinde motus, qui iam post hæc fit, affectio ad sanitatem appellatur. Quare quodammodo ex sanitate sanitatem accidit fieri, & domum ex domo. Quæ sine materia eam quæ habet materiam: ars enim medendi, & ædificandi, & species sanitatis, & domus. dico autem substantiam absque materia, quod quid erat esse. Generationum autem, & motuum hæc quidem intellectio, hæc verò effectio vocatur; quæ quidem à principio & specie intellectio; quæ verò ab ultimo, ipsius intellectionis effectio: similiter autem, & in cæteris medijs unumquodq; fit. Dico autem, utputa, si conualescet, oportet adæquari. Quid igitur est adæquari? hoc autem erit, si calefiet: hoc autem quid est? hoc quidem: hoc autem potestate inest, hoc verò iam in ipso est. Faciens igitur, & unde conualescendi motus incipit, si ab arte species est, in anima. quod si à casu, ab eo quod est faciendi principium illi, qui ab arte facit: sicut fortassis & in medendo principium à calefaciendo fit: hoc autem facit fricatione: calor itaq; in corpore, aut pars sanitatis, aut sequitur eum aliquid tale, quod est pars sanitatis, aut plura: hoc autem ultimum faciens, & quod ita pars est sanitatis, & domus, & aliorum, ut lapides. Quare quemadmodum dicitur, impossibile est fieri, si nihil præexistat: quod sanè pars, ex necessitate existet, patet. materiæ namq; pars: inest etiam hæc & fit. Sed utrum eorum etiam est, quæ in ratione? utroq; quidem modo dicimus multos circulos quidnam sint, & materiam dicentes, quod æs, & speciem quod talis figura, & hoc est genus, in quo primo ponitur. æneus autem circulus, habet in ipsa ratione materiam. Ex quo verò tanquam materia fiunt aliqua dicitur, cum fit non illud, sed illiusmodi. ut statua non lapis, sed lapidea. homo autem conualescens non dicitur illud, ex quo caussa verò est, quia fieri contingit ex priuatione, & subiecto, quod dicimus materiam: utputa & homo, & ægrotus fit sanus. magis tamen dicitur ex priuatione

udtione fieri, velut ex ægroto ſanus, quàm ex homine: quare ſanus ægrotus quidem non dicitur, ſed homo, & ſanus. Quorum verò priuatio incerta, & innominata eſt, vt in ære cuiusq; figuræ, aut in lateribus, & lignis domus, ex his non dicentur fieri, ſicut illic ex ægroto. quare ſicut nec vbi ex quo, hoc non dicitur illud: nec hic ſtatua lignum: ſed deriuatiuè dicitur lignea, non lignum, & ænea non æs, & lapidea, & non lapis: & domus lateritia, ſed non lateres: cum neq; tanquam ex ligno fit ſtatua, aut ex lateribus domus (ſi quis accuratè inſpexerit) profectò ſimpliciter dicet: propterea quod oporteat fieri, mutato ex quo, ſed non permanente: propter hoc igitur, ſic dicitur.

EXPOSITIO.

IN tribus primis huius Libri capitibus egit de ſubſtantia communiore modo dicta, in alijs verò tribus illos conſequentibus de ſubſtantia, quæ quod quid erat eſſe cuique eſt; in hoc autem & in duobus proximè ſequentibus agit de ſubſtantia generabili, & corruptibili vt in ſe, & vt in ſuis tranſmutationibus eſt ſic incipiens. Eorum, quæ fiunt quędam natura, quædam arte, & quædam caſu fiunt. Item omnia, inquit, quę fiunt, fieri & ab aliquo, & ex aliquo, & aliquid. Poſteà vnumquodq; horum ita declarat. Aliquid; ideſt, aliquid ſecundum quodq; prædicamentum, quod eſt, aut hoc; ideſt, ſubſtantiam, aut quale, aut quantum, aut vbi, ita & de cæteris, quæ in prædicamentis ſunt, intelligendum eſt. Poſteà de generationibus, quæ natura fiũt, ait. Generationes naturales hę ſunt, & eorum ſunt, quorum generatio ex natura eſt. Ex quo aliquid fit, hoc materiam dicimus eſſe. A quo quippiam fit eorum, quę natura ſunt; ipſum faciens eſt aliquid, ſicut homo, aut planta, aut

ta, aut aliquid similium, quę maximè substantias esse dicimus. Maximè, quatenus mouentia, necesse est ea & prima esse, & actu esse. Cuncta hæc, quæ aut natura, aut arte fiunt, ait, materiam habere. Quod ita probat. Possibile, inquit, est esse, & non esse vnumquodque eorum, quæ fiunt, fit ex hac potentia, ergo hæc potentia, ex qua fiunt, est materia. Ergo cuncta, quæ fiunt materiam habent. Quare hanc potentiam materiam appellat, dicens. Hoc autem cuique materia. Verum quia materia est substantia, quę est potētia. & ipsa materia; propterea per se nec quid, nec quale, nec quantum, nec vllum cæterorum dicitur. Posteà de natura omnium horum ait. Vniuersaliter verò & id, ex quo quid fit est natura: hoc est materia. Et illud, per quod; idest, per quod dicitur id, quod est, esse: hoc puto esse speciem, quam item naturam appellat. Et id, quod fit habet naturam sicut planta, aut animal. Et à quo; idest, à quo principium motus. Quod quidem principium motus fit secundum speciem moti in mouente existentem; ideò ait. Hæc autem in alio est: sicut homo hominem generat. Hoc verò modo ea fieri, ait, quæ propter naturam fiunt. Cæteras autem generationes appellat effectiones, de quibus deinceps agit, inquiens. Omnes effectiones aut ab arte, aut à potestate, aut ab intellectu fiunt. Ac subiungit. Harum effectionum aliquas fieri etiam à casu, & à fortuna; idest, præter mentem operantis. sicut & in naturalibus prę ter intentionem naturæ, vt multa videmus fieri. sicut aliqua, quæ eadem & ex semine, & sine semine oriuntur. De quibus naturalibus, quæ præter intentionem naturę fiunt posteà dicit considerandum. Ab arte, inquit, fiunt ea, quorum species in anima artificis est. quas species ait esse quod quid erat esse vniuscuiusque. Hanc speciē

&

& primam ſubſtantiam ab illo puto appellatam; ideò, quia eſt principium omnium effectionum. Nam neceſſe eſt prius ſpeciem in mente eſſe, deinde verò in lapide, vel in ligno. Tum quo quid ſit priuatio oſtendat, ait. Etenim contrariorum quoddam modo eadem ſpecies eſt; ideſt, priuationis ſubſtantia oppoſita eſt ſubſtantię, quæ eſt actu: ſicut ſanitas ęgritudini. Sanitatis enim abſentia oſtenditur ægritudo. Quia verò hominis vtputa eſt ſanitas, quæ eſt ſpecies, huius verò ſpeciei eſt ratio tum in anima, tum in ſcientia, quæ eſt; ideò in hoc ſenſu ait. Sanitas verò eſt ratio, quæ in anima, & in ſcientia eſt, cum anima ita intelligens facit ſanum hominem. Poſteà ait. Cum hoc ſanitas ſit; ideſt, hoc quod dictum eſt, cum ſit ſanitas, vt ab ea effectio fiat; ideſt, vt ſanitas fiat, neceſſe & fieri æqualitatem temperiei. Quod ſi hoc; ideſt, æqualitas, neceſſe eſt caliditatem eſſe. Et ita, ait, ſemper animus intelligit, donec redigat in illud, quod ipſe animus poteſt vltimum facere; ideſt, quouſq; animus faciat id, quod ſibi maximè licet. Deinde ait. Motus, qui iam poſt hæc fit effectio ad ſanitatem appellatur. Motum appellat omnem effectionem, quæ fit circa corpus ſanandum, vel circa id, quod fit. Ex quibus infert. Quare quodammodo ex ſanitate ſanitatem accidit fieri, & domum ex domo; ideſt domum eam, quę materiam habet, ex domo, quæ ſine materia eſt. Ac fortaſſe quia ab immateriali domo fit materialis domus; ideò dixit, Accidit fieri. Ex quibus clarum eſt artem medendi, & ædificandi eſſe formam ſanitatis, & formam domus. Quæ quidem ſpecies, ars, & ſubſtãtia ſine materia, quod quid erat eſſe, eſt. Deinde de horum generationibus, & motibus faciendorum, ait. Generationum, & motuum, hæc quidem intellectio, hæc verò effectio vocatur; ideſt,

est,illa pars, quæ in animo est intellectio, illa verò quæ est extrà animum effectio. Efficiendorum, quę sunt à principio, & à specie ipsorum efficiendorum intellectio; quę autem sunt ab vltimo intellectionis; ideſt, à fine, ad quem talis intellectio est,effectio appellatur. Simili modo,subiungit, dicuntur vna quæq; mediarum mutationum; ideſt, ſicut in ijs, quę sunt de non esse ad esse; ac de esse,ad non esse; ita & in ijs,quę fiunt de esse ad esse; illud intellectio, illud verò effectio dicitur. Quoniam verò ęgritudo,& sanitas sunt extrema, mediũ illorum est status conualescentis; ideò ait. conualescet oportet adęquari; ideſt,ad temperiem redigi. Quid est, subiungit,adęquari? respondet,hoc esse,si calefiet. Posteà interrogat de alio propinquiore gradu sanitatis, vel cum ipsa sanitate qui iam existat. Hoc autem quid est? respondet. Hoc quidem; ideſt,ipsa sanitas. Quæ quidem media partim sunt potentia,partim verò actu. Quare,subiungit, Hoc autem poteſtate ineſt, hoc verò iam in ipso actu est. Posteà de caussa agendi faciendorum ait. Faciens igitur,& principium vnde conualescendi motus incipit,si ab arte est,forma est in anima. Quoniam verò nonnunquàm etiam pręter mentem medici à casu aliquis sanatur; ideò subiungit. Quod si à casu, & ab eo est principium, quod est illi faciendi principium, qui ab arte facit, quę est species sanitatis. Quia verò quædam sanitas est temperatus calor,ideo huiusmodi sanitatis exemplum adduxit,inquiens. Sicuti fortassis,& in medendo principium sanitatis à calefactione fit,calefactio verò à fricatione. Quare subiungit. Calor in corpore aut est pars sanitatis; aut sequitur eum; ideſt, calorem; aliquid tale; ideſt,aliqua pars sanitatis, aut plura,quę sunt partes sanitatis. Posteà. Hoc

autem,

autem,inquit,vltimum faciens ſanitatem; quod, ait,ita eſt pars ſanitatis,vt ex eo fiat ſanitas tanquàm ex parte,quę eſt de ratione materiæ. Quare ſubiungit,Vt domus pars ſunt lapides, & aliorum faciendorum alia. Quocirca, ſubiungit, quemadmodum dicitur impoſſibile eſt aliquid fieri; ſi nihil præexiſtat. Atqui quia neceſſariò pars exiſtat; ideò,ait,patere,quoniam materia eſt pars, quatenus & ineſt ipſa materia, & quatenus ex ea id fit,quod fit. Poſteà quærit ſitne hęc materia pars rationis,inquiens. Vtrum etiam eorum, quę in ratione ſunt,materia ſit aliqua pars rationis? reſpondet,vtroq; modo dici poſſe; ideſt,& eſſe,& non eſſe partem rationis; quatenus multipliciter circulos dicimus, & materiam eorum dicentes,ſicut ęneos,aut lapideos: & etiam formam ſine materia; ideſt, ipſe circulus quid ſit, eius ſpeciem dicentes,talem figuram circulum eſſe. Genus eſt,quod in rationibus primum ineſt,vt in Quinti Libri Capite vigeſimo ſecundo legere eſt. Ideò in ratione ęrei circuli,circulus eſt genus differentia verò eſt ęs. Quo quoniam probatur materiam aliquando eſſe in definitione; ideo ait. Hoc eſt genus,in quo primo ponitur ęneus circulus. Quare ſubiungit,Æneus autem circulus habet in ipſa ratione materiam. Poſteà, Ex quo,inquit,fiunt aliqua (hoc autem eſt,ſicut materia) cum fit,non dicitur illud,ſed illiuſmodi. Quemadmodum cum fit ex lapide ſtatua, non dicitur ſtatua lapis; ſed dicitur lapidea ſtatua. Homo verò conualeſcens non dicitur illud ex quo fit; ideſt non dicitur ægrotus ſanus. Quare ait. Cauſſa verò eſt. Quoniam contingit id fieri & ex priuatione,& ex ſubiecto,quod ſubiectum materiam dicimus. Quod declarat hoc exemplo. Vt puta,& homo, & ægrotus fit ſanus, ex quibus duobus,

magis,ait,dicimus fieri & ex priuatione,quam ex subiecto. Veluti magis dicimus ex ægroto fieri sanum, quàm ex homine fieri sanum. Quare subiungit,sanus ægrotus non dicitur; sed homo,& homo sanus. Deinde eorum, inquit,quorum priuatio incerta,& innominata est.sicut in æreæ cuiusq́; figuræ,aut sicut in lateribus,& lignis domus,ait,ex ijs,idest, ex horum priuationibus non dicitur fieri: sicut illic ex ægroto. Quibus iterum sumptis ait. Quare sicut nec vbi ex quo, hoc non dicitur illud; idest,conualescens: ita nec hic statua lignea lignum dicitur,sed deriuatiuè dicitur lignea,ex ęre verò ęnea,non autem ęs; ex lapide lapidea dicitur non lapis,& domus lateritia non lateres. Verùm quoniam hæc non fiunt tantùm ex materia,sed etiam ex priuatione,quæ est innominata; ideo subiungit. Cum neq; tanquàm ex ligno fit statua,aut ex lateribus domus. Ac subiungit, si quis accuratè inspexerit,quomodo dicenda sint, simpliciter dicet fieri statuam ligneam, quatenus oportet fieri id, quod fit,mutato, ex quo, & non permanente. Quod si id,ex quo aliquid fit non mutaretur,illud idem permaneret. Ideò subiungit. Propter hoc sic dicitur.

CAPVT VIII.

CVm autem, & ab aliquo fiat, quod fit (hoc autem dico vnde generationis principium est) & ex aliquo,fit autē hoc non priuatio,sed materia (iam enim determinatum est, quemadmodum hoc dicimus) & quod fit,hoc autem est,aut sphæra,aut circulus,aut quodcunq; cæterorū euenit. sicut neq; subiectum facit ipsum æs,ita neq; sphæram,nisi secundum accidens, quia ænea sphæra sphæra est: illam autem non facit. hoc aliquid

enim

enim facere ex omnino ſubiecto, hoc facere eſt. dico autem quod æs facere rotundum, non eſt ipſum rotundum, aut ſphæram facere, ſed aliquid aliud, vtputa, ſpeciem hanc in alio. Si enim facit, ex aliquo alio profectò facit: hoc enim ſupponebatur, vtputa facere æneam ſphæram, hoc autem ita, quia ex eo quod æs, hoc facit, quod ſphæra eſt: ſi igitur & hoc ipſum facit, patet quod ſimiliter faciet, & generationes in infinitum procedent. Manifeſtum igitur eſt, quod neq; ſpecies fit, aut quodcunq; nominare oportet formam, quæ in ſenſibili eſt, nec eſt eius generatio, nec eſt hæc, ipſum quid erat eſſe. Hoc enim eſt, quod in alio fit, aut ab arte, aut à natura, aut à potentia. æneam verò ſphæram, eſſe facit, facit namque ex ære & ſphæra, in hoc enim hanc ſpeciem facit: & hoc eſt ſphæra ænea. hoc autem ſphæræ eſſe. eius verò quod eſt ſphæræ eſſe, omnino ſi generatio eſt, ex aliquo aliquid erit. oportebit nanq; diuiſibile ſemper eſſe, quod fit. & eſſe hoc quidem hoc, illud verò hoc: dico autem, quod hoc quidem materiam, illud verò ſpeciem. ſi itaq; ſphæra eſt figura, quæ à medio æqualis eſt, huius hoc quidem eſt, in quo erit, quod facit: illud autem in illo. totum verò quod factum eſt, vtputa ipſa ænea ſphæra. Manifeſtum igitur ex dictis eſt, quod illud quidem, quod vt ſpecies, aut ſubſtantia dicitur, non fit: copulatio verò, quæ ſecundum hanc dicitur, fit. & quod in omni quod fit, materia ineſt: & eſt hoc quidem hoc, illud verò hoc. Vtrum igitur eſt aliqua ſphæra præter has, an domus præter lateres? an nec factum fuiſſet vnquam, ſi ita eſſet quod quid, ſed quoniam tale ſignificat? hoc autem & terminatum non eſt. Sed facit, & generat ex hoc tale, & cum generatum eſt, eſt hoc tale? totum autem hoc, Callias, aut Socrates eſt, ſicut ſphæra ænea hæc, homo verò & animal ſicut ſphæra ænea ſimpliciter. Patet ergo quòd ſpecierum cauſſæ (quemadmodum quidam dicere ſolent ſpecies) ſi aliquæ ſunt præter ſingularia ad generationes, & ſubſtantias nihil proſunt: nec ſunt propter has, ſubſtantiæ ſecundum ſe, in

quibusdam etenim etiam manifestum est, quod generans tale est, quale quod generatur: non tamen idem, nec vnum numero, sed vnum specie. vt in naturalibus, (homo namq; hominem generat) nisi quid præter naturam fiat, vt equus mulum: & hæc quoq; similiter, quod enim est commune equo & asino, non est nominatum propinquissimum genus: fuerint autem ambo fortassis, uti mulus. Quare patet, quod non oportet tanquam exemplar speciem ponere: in his etenim maximè quærerentur. hæ enim maximè substantiæ sunt: sed generans sufficiens est, vt faciat, & caussa sit speciei esse in materia: tota verò iam talis species, in his carnibus, & ossibus, Callias, & Socrates: & diuersa quidem propter materiam (diuersa etenim) idem autem specie: indiuisibilis namq; species est.

EXPOSITIO.

CVm & ab aliquo fiat quod fit. Hoc ait esse principium generationis, quod est mouens principium, & etiam cum ex aliquo fiat, Hoc autem ait esse non priuationem, de qua in superiore capite egit, sed materiam. de qua materia iam in precedentibus ait determinatum esse, quomodo hoc principium dicimus. Deinde & de ipso, quod fit ait. Et quod fit, hoc autem est, aut sphœra, aut circulus, aut quodcunq; cæterorum, euenit fieri ex quibus, ait, in effectione, vtputa, æneæ sphœræ, principium mouens sicut subiectum non facit; idest ipsum æs; ita neq; sphœram facit; idest, speciem, nisi secundum accidens: quatenus æneam sphœram facit, quæ sphœra ænea, sphœra est secundum accidens: illam autem, quæ absolutè est sphœra non facit. Verum quoniam in eius genere philosophiæ quicquid fit, quod est hoc aliquid, ex subiecto fieri, necesse est;

ideo

ideò ait. Hoc aliquid enim facere, ex omnino ſubiecto eſt facere. Quare non fit materia, ſed ex ea fit, quod fit. Vt dicat etiam nec ſpeciem fieri, ait. Dico autem quod æs facere rotundum, non eſt ipſum rotundum, aut ſphęram facere; ſed aliquid aliud eſt facere: vt puta, ait, ſpeciem hanc in alio. De materia repetit. Si enim facit, ex aliquo alio profectò facit. Et de toto. Hoc enim ſupponebatur, vt puta facere æneam ſphœram. Deinde quomodo hoc fiat, declarat. Hoc autem ita, quia ex eo, quod æs eſt, facit quod ſphœra eſt. Ex quorum conſecutione ait. Si igitur quoq; & hoc ipſum facit; ideſt, vel æs, vel rotundum: patet ſequi & ex ære aliud æs eadem ratione, & ex ſphœra ſphœram ſimiliter facere ita vt generationes in infinitum procederent, quod eſt inconueniens. Ex quibus conſequenter ait manifeſtum eſſe ſpeciem non fieri; ideſt, formam, quæ eſt in materia. Verum quoniam duodecimi Libri Capite tertio tripliciter eam appellat; ideſt quandam naturam, quod quid, & quendam habitum ad quam; ideò ſubiungit. Aut quodcunq; nominare oportet formam, quæ in ſenſibili eſt. Nec eſt, ſubiungit, huius formæ generatio, nec quod quid erat eſſe eſt hęc; ideſt hoc aliquid per ſe exiſtens, non eſt quod quid erat eſſe. Quia verò hęc forma non fit, ſed aliud fit, vt puta ſphœra ænea; in hoc alio, vt puta, in ære ſphœra, & forma fit; ideò de forma loquens, ait. Hoc enim eſt, quod in alio fit, aut ab arte, aut à natura, aut à potentia; quoniam agens æneam ſphœram, non autem formam facit. Quæ iterum repetens, ait, facit namq; ex ęre ſphœram: in hoc enim; ideſt, in hac ſpœra ęnea hanc ſpeciem facit. Quorum, ideſt, quorum duorum hoc eſt, ait, ſphœra ęnea, hoc autem ſphęrę eſſe, vel quod quid erat eſſe, vel ſpecies. Denuò vt probet

ſpeciei generationem non eſſe ait. Eius verò quod eſt ſphœrę eſſe, omnino ſi generatio eſſet, ex aliquo aliquid fieret. quod quidem ſphœrę eſſe diuiſibile eſſet, quoniã omne, quod fit ſemper diuiſibile oportet eſſe, & alia pars eſſet potentia, alia verò actu; ideò ait. Et eſſe hoc quidem hoc, illud verò hoc. Atqui vt declaret quid hoc, & hoc, ſubiungit. Dico aũt hoc quidem materiam, hoc verò ſpeciem eſſe. Poſteà vnumquodq; horum, vt declaret per ſe diſtinctum quo modo dicatur, & quid ſit, ait. Si itaq; ſphœra eſt figura, quę vna ſuperficie continetur, à cuius centro ad ipſam ſuperficiem omnes lineę productę ſunt ęquales. & ſi huius, vtputa ęneę ſphęrę, quam efficiens facit; hoc eſt ęs, in quo ſphœra fit: etſi hoc, quod in alio fit; ideſt in ęre ſpecies ſphœrę eſt, & ſi totum ex ijs, quod factum eſt, vtputa ęnea ſphœra eſt. Ideò ſubiungit, manifeſtum ex dictis eſſe non fieri illud, quod eſt ſubſtantia tanquam forma: copulatio verò quod eſt ęnea ſphęra; ideſt ſphęra, quę ſecundum hanc copulationem dicitur hęc ſphœra eſt, quę fit. Quare quod ait magni nominis Auerroes formam educi de potentia materię, ex hoc loco conuincitur non eſſe verum. Idem ferè dicere poſſum de omnibus alijs ipſius proprijs dogmatibus, quibus maximè in ſuo propoſito communem modum philoſophandi extrà methodum Ariſtotelis ſtabiliuit. Sed ad rem noſtram. Item manifeſtũ eſt in omni, quod fit materiam ineſſe; & hoc eſſe hoc, & illud eſſe illud; ideſt, & hoc eſſe ſpeciem, & illud materiam. Poſteà vt probet generabilium, & corruptibilium cauſſas non eſſe ſpecies ſeparatas à materia, quęrit. Vtrum ſit aliqua ſphœra pręter has materiales, aut domus pręter lapides, & lateres? & reſpondet. An nec factum fuiſſet vnquam quod quid, ſi ita, & ſi tales ſpecies ſeparatę cauſſę eſſent.

Quo-

Quoniam hæ ſpecies ſeparatæ tale ſignificant, vt in prędicamento ſubſtantiæ, & in Secundo Libro Elenchorum in fine Capitis tertij eſt videre. Hoc autem, ideſt, hoc aliquid ſicut Socrates, quod eſt terminatum, & quid immobile non eſt, ſicut ſeparata ſonant, in ſuo ſignificatu dicunt quid immobile, ſed hoc aliquid facit; ideſt, operatur, & generat ex hoc tale, & cum generatum eſt, eſt hoc tale: totum autem hoc Callias, aut Socrates eſt. Sicut de ænea ſphœra. De ſpeciebus verò ſeparatis ait. Homo verò, & animal eſt ſicut ſphœra ſimpliciter, ideſt ſeparata à materia. Ex quibus ait patere formas ſeparatas à materia cauſſas non eſſe, ſicut aliqui poſuerunt in eorum modo philoſophandi. Vt ad generationem, & ad ſubſtantias aliquid proſint. Ad ſubſtantias, quoniam quale non poteſt eſſe cauſſa ſubſtantiæ: & ad generationem, quoniam ſingulare generat ſingulare ſibi ſimile: quatenus ſingulare eſt quid faciens; ſpecies verò quale eſt, & terminatum; ideſt non operans. Ideò ſubiungit, ſubſtantias ſecundum ſe eſſe ſubſtantias, non eſſe autem propter Ideas, vel propter vniuerſalia ſeparata. Verum quoniam ea quæ ſunt tum naturalia, tum ex arte ſunt. De naturalibus tantum loquens ait. In quibuſdam etenim etiam manifeſtum eſt generans ipſum tale eſſe, quale eſt generatum; non tamen, ſubiungit, idem, nec vnum numero; ſed vnum ſpecie. Quare, ſubiungit, vt in naturalibus, ſicut homo hominem generat, niſi quid præter naturam fiat. Sicut ex equo mulus. Hoc tamen, ait, his rationibus non obſtare. Quoniam aſino, & equo, ex quibus generatur mulus, maximè propinquum vtriq; eſt genus, quod non eſt nominatum, ita, vt ambo, ſcilicet & aſinus, & equus ſint ſicut mulus. Genus autem eſt, quod primum in ratione

huius

huius equi, & huius muli dicitur. Quibus sic ponderatis tum in generationibus, tum in motibus, posteà aduersus eos, qui species separatas exemplares ponebant caussas esse generabilium, & corruptibilium ait ex ijs, quæ dicta sunt patere. Species exemplares, quas Platonici ponebant, non esse necessarias generationibus naturalium ita, vt naturalia agentia rationem veri suarum operationum inde sumerent. quoniã si essent species exemplares in ijs essent; ideſt, in his naturalibus, de quibus hactenus egit, maximè quærerentur. Hæc naturalia, subiungit, maximè substantias esse. Verum quoniam dixerat speciem, quę esset tanquam exemplar, non oportere in generationibus esse; ideò subiungit. Sed generans sufficiens est, vt faciat, & caussa sit formæ in materia. Quoniam verò hæc forma est tota forma ipsius singularis, sicut est Socrates, & non est aliqua pars formæ ita, vt & alia pars posset esse exemplar. Ideò ait. Tota verò iam talis forma in his carnibus, & ossibus Callias, & Socrates est. Quia verò species Socratis, & Calliæ eadem est, & diuersa Eadem quatenus omnis species, vt species in se indiuisibilis est; diuersa, quatenus materiæ huius, vel huius species alia, & alia est, ita, vt generabilia, & corruptibilia substantiæ in suis speciebus sint specie vnum, numero multa. Quare, ait, diuersa quidem propter materiam, idem autem specie, quoniam species indiuisibilis est.

CA-

CAPVT IX.

DVbitauerit autem aliquis, cur quædam & arte, & casu fiunt, vt sanitas: quædam autem minimè, vt domus. Caussa verò est, quod horum quidem materia, quæ principium generationis est, cum faciens sit, & factum aliquid eorum, quæ ab arte sunt, in qua est aliqua pars rei, quædam talis, vt à seipsa moueatur, quædam non: & huius quædam sic possibilis est, quædam impossibilis: multa namq; possibilia quidem à seipsis moueri, sed non sic, vtputa saltare. quorumcunq; itaq; talis materia est, vt lapides (impossibile est sic moueri, nisi ab alio:) sic tamen certe est & ignis: propterea quædam non erunt absque eo, qui habet artem, quædam erunt. ab ijs enim mouebuntur, quæ non habent quidem artem, moueri verò possunt ipsamet, aut ab alijs non habentibus artem, aut ex parte. Manifestum autem est ex ijs, quæ dicta sunt, & quod quodammodo omnia fiunt ex vniuoco, quemadmodum quæ natura sunt, aut ex parte vniuoca, vt domus ex domo; aut ab intellectu: ars enim species est, aut ex parte, aut habente aliquam partem, si non secundum accidens fiat: caussa enim faciendi prima secundum se pars: calor enim in motu calorem in corpore fecit. Hic verò aut sanitas est, aut pars, aut sequitur eum aliqua sanitatis pars, aut ipsa sanitas. Quare & dicitur facere, quia illud quod sequitur, & cui accidit calor, sanitatem efficit. Quare sicut in syllogismis omnium principium substantia est (ex ipso enim quid est, syllogismi sunt) hic etiam generationes. Similiter se habent, & quæ natura constituta sunt: semen nanq; facit sicut ea, quæ ab arte sunt: habet etenim potestate speciem, & à quo semen est, quodammodo vniuocum (non enim omnia ita oportet quærere sicuti in homine homo: etenim mulier ex viro. vnde mulus non ex mulo) sed si non læsura fuerit. Quæcunque verò

quorum materia poteſt & à ſeipſa moueri, eo motu, quo ſemen mouet, à caſu, ſicut ibi fiunt: quorum autem non, hæc impoſſibilia ſunt aliter fieri, quàm ex ipſis. Non autem de ſubſtantia ſolum oſtendit ratio non fieri ſpeciem, ſed de omnibus primis: ſimiliter communis ratio eſt, vtputa, quantitate, qualitate, & alijs prædicamentis: fit enim, vtputa ænea ſphæra, ſed non ſphæra, nec æs. & in ære fit: ſemper nanq; oportet præexiſtere materiam, & ſpeciem: ita & de quid eſt, & de qualitate, & quantitate, & alijs prædicamentis ſimiliter: non enim fit qualitas, ſed quale lignum: nec quantitas, ſed quantum lignum, aut animal, cæterum ex his proprium ſubſtantiæ accipere eſt: quod neceſſe eſt præexiſtere ſemper aliam ſubſtantiam actu exiſtentem, quæ facit, vtputa animal, ſi animal ſit. quale verò aut quantum, non eſt neceſſe niſi potentia ſolum.

EXPOSITIO.

IN ſeptimo Capite dixerat aliqua fieri eadem, & ex ſemine & abſq; ſemine; quomodo verò hoc fiat, vt in præſenti aperiat ſic incipit. Dubitauerit autē aliquis cur quædam ex arte, & caſu fiunt: quorum eſt ſanitas: quæ & ex arte medici fit, & præter mentem medici caſu. Et cur aliqua niſi arte fiant, caſu nunquam fiunt: ſicut domus? Reſpondet cauſſam horum talem eſſe. Quoniam horum; ideſt, aliorum materia, quæ eſt principium generationis, cum & faciens ſit, & factum, cum ſit aliquid eorum, quæ ab arte ſunt: quæ materia eſt aliqua pars rei, quædam talis eſt, inquit, vt à ſe ipſa moueatur, & quædam talis, vt à ſeipſa non poſſit moueri. Huius autem materiæ, quæ poteſt à ſeipſa moueri, aliqua materia eſt, quę ſic poteſt moueri, quędam verò materia fieri non poteſt, vt ſic moueatur.

Posteà declarat quid ſit ex ſe moueri, quiduè ſit, ſic ex ſe moueri. Multa, inquit, poſſibilia ſunt moueri, ſed non ſic: vtputa ſaltare: neceſſe eſt enim, vt ſic magiſter inſtituat. Quare quorumcunque, ait, talis materia eſt: ſicut lapides ſunt materia domus, fieri non poteſt, vt ſic moueatur: ideſt, vt lapides ex ſe ipſis domum faciant: niſi ab alio; ideſt, niſi ab artifice ædificetur. Ignem quoque ait eſſe ex ijs, quæ ex ſe ſic non poſſunt moueri; ſed neceſſe eſt, vt artifex ſic, & ſic igne vtatur. Quare ſubiūgit. Quædam non erunt abſq; eo, qui habet artem; ideſt, abſque artifice. Et quoniam quædam, ait, erunt; ideſt, quædam ab ijs, qui non habent artem mouebuntur. Etenim vel ipſa per ſe poſſunt moueri, vel ab alijs non habentibus artem mouebuntur, vel ex parte; ideſt, vel partim ex ſe, partim verò ab alijs non habentibus artem mouebuntur. Quare manifeſtum, inquit eſſe ex ijs, quæ dicta ſunt quodammodo omnia fieri ex vniuoco (vniuocum eſt, quod eſt eiuſdem nominis, & rationis) omnino ex vniuoco fiunt quęcunq; natura fiunt. Aut, ſubiungit, ex parte vniuoca fiunt, quæ ex arte fiunt: ſicut domus ex domo, quę in anima eſt, vel ab intellectu. ars enim ſpecies artificiati eſt, aut ex parte eſt ſpecies artificiati, aut eſt habens aliquam partem artificiati: ſi artificiatū non eſt ſecundum accidens; ideſt, præter mentem artificis. In artificiatis quoq; prima cauſſa faciendi; ideſt, prima & propria cauſſa mouens, prima per ſe pars eſt eorum, quæ ſecundum artem fiunt. Deinde calor, inquit, in motu calorem in ſanando corpore facit: calor in motu eſt, ſicut aliquod medicamentum. De calore quem in corpore facit ait. Hic verò; ideſt, hic calor aut ſanitas eſt corporis, aut eſt pars ſanitatis, aut eum ſequitur aliqua pars ſanitatis, aut ipſa ſanitas eum ſequitur. Quare hic

quorum materia potest & à seipsa moueri, eo motu, quo semen mouet, à casu, sicut ibi fiunt: quorum autem non, hæc impossibilia sunt aliter fieri, quàm ex ipsis. Non autem de substantia solum ostendit ratio non fieri speciem, sed de omnibus primis: similiter communis ratio est, vtputa, quantitate, qualitate, & alijs prædicamentis: fit enim, vtputa ænea sphæra, sed non sphæra, nec æs. & in ære fit: semper nanq; oportet præexistere materiam, & speciem: ita & de quid est, & de qualitate, & quantitate, & alijs prædicamentis similiter: non enim fit qualitas, sed quale lignum: nec quantitas, sed quantum lignum, aut animal, cæterum ex his proprium substantiæ accipere est: quod necesse est præexistere semper aliam substantiam actu existentem, quæ facit, vtputa animal, si animal fit. quale verò aut quantum, non est necesse nisi potentia solum.

EXPOSITIO.

IN septimo Capite dixerat aliqua fieri eadem, & ex semine & absq; semine; quomodo verò hoc fiat, vt in præsenti aperiat sic incipit. Dubitauerit autẽ aliquis cur quædam ex arte, & casu fiunt: quorum est sanitas: quæ & ex arte medici fit, & præter mentem medici casu. Et cur aliqua nisi arte fiant, casu nunquam fiunt: sicut domus? Respondet caussam horum talem esse. Quoniam horum; idest, aliorum materia, quæ est principium generationis, cum & faciens fit, & factum, cum sit aliquid eorum, quæ ab arte sunt: quæ materia est aliqua pars rei, quædam talis est, inquit, vt à se ipsa moueatur, & quædam talis, vt à seipsa non possit moueri. Huius autem materiæ, quæ potest à seipsa moueri, aliqua materia est, quę sic potest moueri, quędam verò materia fieri non potest, vt sic moueatur.

Postea

Posteà declarat quid ſit ex ſe moueri, quiduè ſit, ſic ex ſe moueri. Multa, inquit, poſſibilia ſunt moueri, ſed non ſic: vtputa ſaltare: neceſſe eſt enim, vt ſic magiſter inſtituat. Quare quorumcunque, ait, talis materia eſt: ſicut lapides ſunt materia domus, fieri non poteſt, vt ſic moueatur: ideſt, vt lapides ex ſe ipſis domum faciant: niſi ab alio; ideſt, niſi ab artifice ædificetur. Ignem quoque ait eſſe ex ijs, quæ ex ſe ſic non poſſunt moueri; ſed neceſſe eſt, vt artifex ſic, & ſic igne vtatur. Quare ſubiūgit. Quædam non erunt abſq; eo, qui habet artem; ideſt, abſque artifice. Et quoniam quædam, ait, erunt; ideſt, quædam ab ijs, qui non habent artem mouebuntur. Etenim vel ipſa per ſe poſſunt moueri, vel ab alijs non habentibus artem mouebuntur, vel ex parte; ideſt, vel partim ex ſe, partim verò ab alijs non habentibus artem mouebuntur. Quare manifeſtum, inquit eſſe ex ijs, quæ dicta ſunt quodammodo omnia fieri ex vniuoco (vniuocum eſt, quod eſt eiuſdem nominis, & rationis) omnino ex vniuoco fiunt quęcunq; natura fiunt. Aut, ſubiungit, ex parte vniuoca fiunt, quæ ex arte fiunt: ſicut domus ex domo, quę in anima eſt, vel ab intellectu. ars enim ſpecies artificiati eſt, aut ex parte eſt ſpecies artificiati, aut eſt habens aliquam partem artificiati: ſi artificiatū non eſt ſecundum accidens; ideſt, præter mentem artificis. In artificiatis quoq; prima cauſſa faciendi; ideſt, prima & propria cauſſa mouens, prima per ſe pars eſt eorum, quæ ſecundum artem fiunt. Deinde calor, inquit, in motu calorem in ſanando corpore facit: calor in motu eſt, ſicut aliquod medicamentum. De calore quem in corpore facit ait. Hic verò; ideſt, hic calor aut ſanitas eſt corporis, aut eſt pars ſanitatis, aut eum ſequitur aliqua pars ſanitatis, aut ipſa ſanitas eum ſequitur. Quare hic

calor, qui fit in corpore dicitur facere, quia illud, quod sequitur eum sanitas est, & cui hic calor accidit, ei sanitatem efficit. Quas quidem actiones tum naturæ, tum artis aptissimè syllogismo comparat. Verum quoniam omnes syllogismi ex maiore propositione vniuersali sunt, quæ vniuersalis propositio quatenus quid per se, & separatum sonat, substantia est in rationibus logicis syllogismorum, licet accidentium vniuersale separatũ fuerit, hęc maior propositio principium, & caussa syllogismi est; ideò ait. Quare sicut in syllogismis omnium, quę in syllogismo sunt substantia principium est; ideò subiungit, ex ipso quid est syllogismi sunt. Hic etiam, inquit, generationes sicut ipsi syllogismi sunt. In generatione species generantis est sicut in syllogismo maior propositio, semen per quod fit est, vt minor propositio, generatum tandem est, sicut conclusio syllogismi. Postea subiungit, simili modo se habere & omnia, quę natura constituta sunt; idest, omnia naturalia in suis mutationibus. Quare subiungit, semen namq; facit sicut ea, quæ ab arte sunt. Ea, quæ ab arte sunt habent speciem in ipsa arte; ita semen habet in se speciem potestate. Ad hanc rem facit caput tertium Secundi Libri De generatione animalium, vbi ait. Semen cum excrementũ sit, eodemque moueatur motu, quo augetur corpus digestione vltimi alimenti, vbi vterum subijt, constituit, & mouet excrementum fęminę eodem motu, quo ipsum semen mouetur. Verum quoniam dixerat semen in se habere speciem potestate; ideò subiungit, quæ species, & species illius, à quo semen est; quodammodo vniuoca sunt. Propterea dixit, quodammodo vniuoca; quia, subiungit, non omnino eadem esse quęrenda. sicut ex homine non est quęrendum, vt semper homo generetur, quia &

mulier

mulier ex viro generatur,& mulus ex coitu muli non generatur. Quam ob caussam id quod dixerat, semen, & à quo semen est, quodammodo vniuoca esse; hęc, subiungit, si lęsura non fuerit, vniuoca esse; idest, si aliquod impedimentum naturę non obijciatur. Postremò declarat quomodo aliqua & ex semine,& sine semine fiant,& aliqua omnino necesse esse ex semine fieri inquiens. Quęcunq; sunt, quorum materia potest & à se ipsa moueri eo motu, quo semen mouet, talia, subiungit, fieri à casu; sicut ibi; idest, fiunt sine semine, sicut & ex semine. Quorum autem materia ex seipsa non potest moueri, hęc, ait, fieri non posse, vt aliter fiant, nisi ex semine; idest, quam ex ipsis. Verum quoniam in proximo superiore capite probauit tum formam, tum materiam non generari, sed quod ex illis constat; ideò in pręsenti declarat hęc non solum de substantijs esse intelligenda, sed communiter de omnibus primis, quæ sunt sicut quantum, quale,& alia, quę sunt in prędicamentis. Sicut dictum est, inquit, fit ęnea sphœra, sed non ęs, neq; sphœra, & in ęre fit figura; idest sphœra. Quare, subiungit, semper necesse est pręexistere materiam, atq; formam, ita & in ipso quid est,& in quali,& in quanto,& in alijs, quę in prędicamentis sunt similiter Quare subiungit. Non enim fit quale; sed quale lignum, nec quantum, sed quantum lignum, aut quantum animal. Ex quibus omnibus primis solius substantię proprium ait esse in his, quę fiunt substantiam semper pręexistere actu substantię, quę fit. Sicut si animal fit, necesse est, vt animal actu pręexistat. De alijs verò primis quale, inquit, aut quantum non est necesse, nisi potentia solum vt pręexistat.

CAPVT X.

Cum autem definitio oratio ſit. omnis autem oratio partes habeat, ac ſicut oratio ad rem ſimiliter & pars orationis ad partem ſe habet, dubitatur vtrum oportet partium orationem ineſſe in oratione totius, an non. in quibuſdam enim videntur ineſſe, in quibuſdam verò non: circuli enim ratio non habet rationem inciſionum. ratio verò ſyllabæ habet rationem elementorum: atqui circulus diuiditur in inciſiones, ſicut ſyllaba in elementa. Item autem ſi partes priores ſint toto, recti autem acutus eſt pars, & digitus animalis, prior erit acutus recto, & digitus homine. videntur tamen iſta eſſe priora. ratione nanq; dicuntur ex iſtis: & eo quod ſint abſq; inuicem, priora ſunt. An multis modis dicitur pars? Quorum vnus modus ſecundum quantum menſurans, ſed hoc quidem prætermittatur. ex quibus non ſubſtantia tanquàm ex partibus eſt, hoc conſiderandum eſt. Si igitur hoc quidem materia eſt, hoc verò ſpecies, hoc verò ex his, & ſubſtantia eſt materia, & ſpecies, & quod ex ijs: quodammodo quidem materia etiam pars alicuius dicitur, quodammodo verò non. quandoquidem ex quibus ratio ſpeciei, vt puta concauitatis, non eſt pars caro. hoc enim materia, in qua fit: ſimitatis autem pars aliqua eſt. Et totius quidem ſtatuæ, pars, æs: eius autem, quod vt ſpecies dicitur ſtatuæ, minimè: dicendum enim ſpecie, & quatenus ſpeciem habet, vnũquodque: materiale verò nunquam ſecundum ſe dicendum. Quare circuli quidem ratio non habet eam, quæ inciſionum ratio eſt, ſed ſyllabæ, eam, quæ elementorum eſt, quia elemẽta rationis, partes ſunt ſpeciei, & non materia. inciſiones verò horum ſic partes tanquàm materia, in quibus adueniunt. propinquiores tamen ſpeciei, quàm æs, cum in ære rotunditas fiat. Et quodammodo nec elementa cuncta, in ratione ſyllabæ inerunt, vtputa, hæc cerea,

aut

aut quæ in aere sunt: iam enim etiam hæc syllabæ pars sunt, tanquam materia sensibilis. Etenim linea non si diuisa in medietates, corrumpitur. aut homo, in ossa, & neruos, & carnes: propter hoc & ita ex ijs sunt, tanquam ex ijs, quæ sunt partes substantiæ, verum tanquàm ex materia, & totius quidem sunt partes, speciei verò & cuius ratio, minimè. Propter hoc nec in rationibus: quorundam itaq; inerit talium partium ratio, quorundam verò nō oportet inesse, nisi sunt simul sumpti: propter hoc enim, nonnullæ ex ijs tanquàm principijs sunt, in quas componuntur. quædam verò non sunt. Quæcunq; igitur simul sumpta species & materia sunt, vt simum, aut æneus circulus, illa sanè in hæc corrumpuntur. quæcunq; non simul cum materia sumuntur, sed absq; materia, vt rationis speciei solum, hæc profectò non corrumpuntur, aut penitus, aut nequaquam ita. Quare illorum quidem principia, & partes, quæ in eis sunt, speciei verò neq; partes, neq; principia huiusmodi: & propterea lutea statua in lutum corrumpitur, & sphæra in æs, & Callias in carnem, & ossa: item & circulus in incisiones, est enim aliquid, quod cum materia sumitur: æquiuocè nanq; dicitur circulus, & qui simpliciter dicitur, & singuli, propterea quòd singulis non sit proprium nomen. Dicta itaq; nunc quoq; veritas est, adhuc tamen dilucidius dicamus repetentes: ait. Quæcunq; enim rationis partes, & in quas diuiditur ratio, hæ priores, aut omnes, aut aliquæ, ratio verò recti non diuiditur in acuti rationem, sed acuti in rectum: vtitur nanq; recto, qui definit acutum: minor etenim recto, acutus. similiter autem circulus, & semicirculus se se habent. semicirculus nanq; circulo definitur: & digitus toto: talis enim hominis pars, digitus. Quare quæcunq; quidem partes vt materia, & in quas diuiditur, vt in materiam, posteriores quæcunq; verò vt rationis, & secundum rationem substantiæ, priores aut omnes, aut aliquæ. Quoniā verò animalium anima (hoc enim substantia animati) secundum rationem, & speciem

substan-

ſubſtantia, & quod erat eſſe tali corpori. cuiusq; namq; pars, ſi probè definiatur, non ſine eo opere definietur, quod ſine ſenſu non exiſtet. ſanè partes eius priores, aut omnes, aut aliquæ toto animali: & de vnoquoq; ſimiliter: corpus verò, & eius partes, poſteriores hæc ſubſtantia: & diuiditur in eas, vt in materiam, non ipſa ſubſtantia, ſed totum. Tota itaque quodammodo quidem priores ſunt hæ, quodammodo verò non, quandoquidem nec eſſe poſſunt ſeparatæ: non enim qui quomodocunq; ſe habet, digitus animalis eſt: ſed æquiuocus qui mortuus eſt. quædam verò ſimul, quæcunq; principales, & in qua prima ratio, & ſubſtantia: vtputa, ſi hæc cor, aut cerebrum eſt: nihil enim differt, vtra talis ſit. homo verò, & equus, & quæ ita ſe habent, in ſingularibus ſunt: vniuerſale verò ſubſtantia non eſt, ſed totum quiddam ex hac ratione, & hac materia tanquàm vniuerſali: ſingulare verò ex vltima materia, iam Socrates eſt: & de cæteris ſimiliter. Pars itaq; etiam ſpeciei eſt (ſpeciem autem dico quod quid erat eſſe) & ipſius totius, quod ex ſpecie, & ipſa materia eſt: ſed rationis partes, quæ ſpeciei ſolum ſunt: ratio verò eſt ipſius vniuerſalis. circulo namq; eſſe, & circulus, & animæ anima idem eſt: totius verò circuli huius, & ſingularium alicuius ſenſibilis, aut intelligibilis (dico autem intelligibiles quidem, vt mathematicos: ſenſibiles verò vt æneos, & ligneos) horum, inquam, non eſt definitio, ſed intellectione, aut ſenſu cognoſcuntur: cum verò abeunt ab actu, non eſt manifeſtum vtrum ſint aliquando, an non ſint, tamen ſemper dicuntur, & cognoſcuntur vniuerſali ratione: materia verò per ſeipſam cognita, materia verò quædam ſenſibilis, quædam intelligibilis. Senſibilis quidem vt æs, vt lignum, & quæcunque mobilis materia: intelligibis verò, quæ in ſenſibilibus exiſtit, non prout ſenſibilia, vtputa ipſa mathematica. De toto igitur, ac parte, ac priore, & poſteriore quomodo ſe habeant, dictum eſt. Ad interrogationem verò neceſſe eſt occurrere, cum quis interrogaret,

rogaret,

rogaret, vt rectus, & circulus, & animal priora, an in quas diuiduntur, & ex quibus sunt, partes, quod non simpliciter. nam etiamsi anima animal est, aut animatum, aut vnumquodque, aut vniuscuiusque, & circulus circulo esse, & rectus recto esse, substantia quoq; recti, aliquid quidem, & aliquo posterius dicendum est, vtputa ijs quæ in ratione, & aliquo recto: etenim qui cum materia æneus rectus, & qui in singularibus lineis: qui verò absq; materia, ijs quidem, quæ in ratione sunt posterior, partibus verò, quæ in singulari sunt, prior est. Simpliciter autem non est dicendum: & si diuersa est, & non est anima animal: sic etiam quasdam dicendum, quasdam non dicendum, vt dictum est.

EXPOSITIO.

IN hoc Capite primum agit de toto, & de parte, deinde de habitudine alterius ad alterum, quidvè prius pars toto, an totum parte sit? sic incipiens. Cum definitio oratio sit, & cum omnis oratio partes habeat, & cum sicut oratio ad rem se habet, ita se habeat & pars orationis ad partem rei. Quoniam cum de quapiam re distinctè loquimur, oratio illa distincta, quæ rem significat, se habet ad rem, sicuti res est, & ad vnamquamq; partem rei, pars orationis ipsam partem rei distinctè significans similiter se habet, sicut illa pars rei est; ideo ait dubitari. Vtrum oporteat orationem partium inesse in oratione totius, an non oporteat? Ad quod respondet. In quibusdam videntur partes rationum inesse rationi totius, in quibusdam verò non videntur. Sicuti circuli ratio, quæ est hæc circulus, est figura plana vna linea contenta, à cuius centro ad circumferentiam omnes lineæ ductæ sunt æquales: Ratio verò

fectionum eſt ſemicirculus,maior,& minor ſectio. Iccircò,ait,circuli rationem non habere in ſe inciſionum rationem, quæ ſunt eius partes. At ſyllabæ rationem, ait,habere rationem elementorum,quę ſunt eius partes. Quare,ſubiungit,ſicut circulus diuiditur in ſectiones,ita ſyllaba in elementa. Verum quoniam ſi partium rationes ineſſent in ratione totius, ſequeretur partes priores eſſe toto; ideò,ait,ſi partes eſſent priores toto, ſequeretur angulum acutum priorem eſſe angulo recto, cum ſit pars eius, Similiter & digitum homine priorem eſſe. Tamen,ait,iſta videntur eſſe priora; idest,& angulus rectus,& homo. Quoniam illa ratione ex iſtis totis dicuntur; ideſt,angulus acutus dicitur eſſe pars recti,& digitus eſſe digitus hominis. Item ait. Et eo quod ſunt abſq; inuicem priora ſunt; ideſt. Eo quod reciprocè alterum de altero non dicitur, ideò hæc priora ſunt, quæ de partibus prædicantur; non autem partes de eis. Poſteà, aut quoniam pars multis modis dicitur, quorum vnus eſt ſecundum quantum, quæ menſurat, huiuſmodi pars, ait, prætermittatur,& conſideretur ſubſtantia, ex quibus conſtat tanquàm ex partibus. In ſubſtantia igitur,inquit,ſi hoc eſt materia,hoc verò forma, hoc verò totum; ideſt,id quod ex ijs eſt. Et ſubſtantia,ſubiungit, eſt materia,& ſubſtantia eſt forma, & ſubſtantia eſt id, quod ex ijs eſt. Materia verò quodammodo dicitur pars alicuius, quoddam modo non eſſe pars. Quandoquidem,caro,non eſt pars concauitatis, in qua carne tanquàm in materia concauitas fit. Poſteà,inquit,ſimitatis caro pars eſt aliqua,ſicut & totius ſtatuę, æs,pars eſt. Eius verò partis ſtatuæ,quæ vt forma; ideſt,quæ vt forma dicitur,æs,non eſt pars. Poſteà vt declaret,cur aliquorum in ratione totius non inſunt partium rationes,

in aliquorum verò insunt, ait. Dicendum forma; idest, secundum formam, & quatenus formam habet vnumquodque. Materiale verò, ait, secundum se nunquam dicendum. Ob hanc caussam, & circuli ratio non habet rationem incisionum, & syllabæ ratio habet rationem elementorum. Elementa enim sunt partes rationis, sicut formæ, non sunt autem partes sicut materia. At sectiones circuli sunt partes tanquam materia, in quibus sectionibus circuli adueniunt, cum sectiones simul componuntur. Quia verò hæc materia circuli; idest, hæ sectiones sunt formæ propinquiores, quàm materiæ sensibilium; ideò ait. Propinquiores tamen ipsi formæ, quàm æs, cum in ære rotundum fiat. Verùm quoniam quædam elementa syllabæ possunt esse quodammodo materialia; ideò. Quodammodo, inquit, nec cuncta elementa in ratione syllabæ inerunt. vtputa cęrea, aut quæ in ære sunt, quoniam huiusmodi elementa sunt pars syllabæ, sicut materia sensibilis. Dixerat syllabæ rationem habere rationem suarum partium. Contra nunc ait. Linea non; idest, Etenim linea non habet huiusmodi partes, quando diuiditur actu in medietates. Ideò & corrumpitur, aut cum homo diuiditur in ossa, neruos, & carnes; licet hę partes sint substantię illorum partes; ex ijs enim constant, tanquam ex materia. Quare, subiungit, & totius sunt partes. Formæ verò, & illius partis, quæ est vt ratio partes non sunt. Iccirco subiungit. Propter hoc nec in rationibus dicuntur eorum, quorum sunt partes. Alio modo partes totius dicuntur materia, & forma, de quibus ait. Quæcunq; igitur simul sumpta forma, & materia sunt, sicut, simum, quatenus ex carne, & concauitate constat, aut æneus circulus ex ære, & circulo; illa, ait, sanè in hęc & corrumpuntur, & materia

est pars ipsorum. Postea de ijs,quę sine materia sumuntur,vt sunt rationes formę,solum,ait, hęc profectò non corrumpuntur,aut omnino,aut certè non ita sicut composita. Et ideò,subiungit,eorum; idest,totorum & principia,& partes sunt, quę in eis sunt. Formę verò neque principia,neq; partes huiusmodi sunt. Propterea lutea (inquit)statua in lutum corrumpitur,& ęnea sphœra in æs: & Callias in carnem, & ossa, item & circulus in sectiones. Verum quoniam circulus, qui simpliciter dicitur non diuiditur in partes,sed vnusquisque singulorum circulorum potest in partes diuidi. Nam singuli cum materia sumuntur; ideò subiungit. Est enim aliquid, quod cum materia sumitur. Quare,inquit,ęquiuocè dici circulum,qui simpliciter dicitur circulus,& singuli circuli,eo quod singulis non est proprium nomen, sed circuli appellantur sicut appellatur, & qui simpliciter circulus est. Postea,inquit,quamuis veritatem in præsenti Capite dixerit, tamen dilucidius eandem hic se velle repetere,inquiens. Quæcunq; rationis partes sunt, quę sunt rationes,in quas diuiditur ratio; hę,ait,priores sunt aut omnes,aut aliquæ. Ideò dixit,aut aliquæ,quia cęrea elementa non sunt omnino partes syllabæ. De partibus verò,quæ vt materia sumuntur,ait,Ratio verò recti non diuiditur in rationem acuti,sed acuti ratio diuiditur in recti rationem: quoniam recto angulo vtitur. qui acutum definit inquiens. Acutus angulus est,qui est minor recto: similiter,ait,circulus & portio: vtputa semicirculus se se habent,quia semicirculus circulo definitur (semicirculus est circuli dimidium) digitus verò toto homine ita definitur. digitus est talis pars hominis. Ex quibus infert conclusionem dicens. Quare quæcunq; partes,vt materia sunt,& in quas aliquid diuiditur,vt in ma-

teriam

teriam posteriores toto partes sunt. Quęcunq; verò partes, vt rationis partes, & secundum rationem substantię sunt, priores, ait, aut omnes, aut aliquę sunt. Cur dicat, aut aliquæ, dictum est. Posteà de partibus animalium, quę sunt anima, & corpus, ait. Quoniam verò animalium anima est substantia animati. Quia verò substantia multis modis dicitur; ideò subiungit. Animam substantiam esse secundum rationem, & secundum speciem; idest & rationem, & speciem animalis animam, & quod erat esse tali corpore animato esse. Verum quoniam & ratio, & species, & esse dicit separatum à materia; idest separatum à corpore. Anima separata à corpore in hoc modo philosophandi non potest appellari anima, sed substantia incorporea. Quare eam quod quid erat esse dicit; non autem quod quid est esse. Nam tum erat anima cum erat corpori vnita. Quare subiungit. Cuiusq; nanq; animalis pars, si probè definiatur, non sine eo opere definitur, quod quidē opus sine sensu nō existet: idest animalis opus sine sensu non est. Quare hęc anima cum sit species, ideo subiūgit. Sanè partes eius; idest, animę priores esse aut omnes, aut aliquas toto animali. Hoc modo & de vnoquoq; etiā, quod nō est animal, vt in superioribus dictū est, huiusmodi partes sunt priores toto, aut omnes, aut aliquæ. Posteà de alia parte animalis .i. de corpore, ait. Corpus verò, & eius partes posteriores hac substantia; idest, ipso animali sunt. Animal verò diuiditur in huiusmodi partes, vt in materiā, nō quod substantia animalis diuidatur, sed ipsum totū animal. Verū quoniam prius quàm corpus animalis generetur; illę partes, quę potentia sunt ad id generandū, sunt priores toto in potētia ad illud animal, quod ex illis est generandū, quatenus sunt in potentia priores, & etiā quia in definitione animalis

dicitur

dicitur corpus animatum;ideo ait. Quodammodo toto animali priores ſunt hę partes corporis; quodammodo verò non ſunt priores,quandoquidem nec eſſe poſſunt ſeparatæ; ideò ſubiungit. Non enim qui quomodocun que ſe habet digitus animalis eſt, ſed æquiuocus, qui mortuus eſt. Poſteà de parte animalis,quæ nec prior, nec poſterior pars dicitur,ait. Quædam ſimul quęcunq; principales partes ſunt, & in qua parte prima ratio, & ſubſtantia ſedem habet. Quemadmodum ſi hæc cor, aut cerebrum eſt. In hoc propoſito ſubiungit, nihil referre,quænàm talium prima ſit,determinare. Deinde quid ſingulare, quidve ſit vniuerſale, ait. Homo verò,& equus,& quæ ita ſe habent, in ſingularibus ſunt. Vniuerſale,ait, ſubſtantia non eſt, ſed vniuerſale eſt totum quiddam,quod conſtat ex hac ratione,quæ eſt vniuerſalis ratio; & ex hac materia tanquam vniuerſali; ideſt tanquam ex hac vniuerſali materia. Verum quoniam in materia vniuerſaliter dicta plures mutationes ſunt; ideò & plures materiæ. De quibus dicit. Vltima materia dicitur, quę in generatione non generatur, & ad pręcedentes mutationes in ipſa factas dicitur vltima, quę etiã & prima dicitur ad id, quod ex ea generatum eſt, quia ipſius eſt propria, & prima. Quare, ſubiungit. Singulare verò ex vltima materia iam Socrates eſt; quod & de cęteris generabilibus eadem ratione dicendum eſt. Poſtremò de partibus ſpeciei diſſerit. Verum quoniam ſpecies eſt quod quid erat eſſe; & etiam ſpecies quodammodo ſunt ipſæ figuræ Mathematicæ; quod quid erat eſſe,non habent materiam nec ſenſibilem,nec intelligibilem. Et quia vnaquęq; figurarum ſingularium eſt totum ex materia intelligibili,& ex ſpecie; ideo primo ait.Pars itaq; etiam ſpeciei eſt,quę quidem ſpecies

quod

quod quid erat eſſe eſt. Deinde,ait,partem eſſe totius, quod ex materia,& forma eſt,tum totorum intelligibilium,quæ ſunt figurę Mathematicę, tum ſenſibilium totorum.Rationis autem partes ſunt,inquit,ſolum ſpeciei partes quatenus ratio eſt ſpeciei ratio . Ideò rationis partes,ſunt ſpeciei partes, & rationis ideò ſunt partes, quia eſt vniuerſalis ratio, & ideò in ſeipſa diuiſibilis. Quare,ſubiungit.Ratio verò eſt ipſius vniuerſalis,quod vniuerſale eſt commune multis,& non eſt ſubſtantia.Verum quoniam ex prędictis patet ſpeciei,& vniuerſalis definitionem eſſe; poſteà vt declaret ſingularium non eſſe definitionem,ſed intellectione,aut ſenſu cognoſci ipſa ſingularia per eorum ſpeciem,quę eſt quod quid erat eſſe. Ideò ait. Circulo nanq; eſſe, & circulus; & animæ eſſe,& anima idem eſt. Sicut in prędentibus eſt probatum.Quare totius,ſicut huius circuli,& quorumcũq; ſingulorum,aut ſenſibiliũ,aut intelligibilium circulorum: intelligibiles appellat Mathematicos; ſenſibiles verò ſicut æneos,& ligneos. Horum, inquit,non eſt definitio: ſed intellectione, aut ſenſu cognoſcuntur. Huiuſmodi, ſubiungit,ſingularia cum abeunt ab actu non eſſe manifeſtum vtrum ſint aliquando,an non ſint, vniuerſali tamen ratione ſemper & cognoſcuntur,& dicuntur. Poſteà de matetia,ait. Materiam per ſe ipſam eſſe incognitam,& materiam eſſe aliquam ſenſibilem,aliquam verò intelligibilem.Senſibilem ſicut ęs,& lignum,& quęcunque mobilis materia . Intelligibilem materiam ait eſſe, quę in ipſis ſenſibilibus exiſtit,non tamen prout ſenſibilia ſunt,hęc eſſe,ſubiungit,materiam,ſicut ipſa Mathematica materia.Poſteà de toto,igitur,inquit,ac parte,& de priore,& de poſteriore quomodo ſe habeant,dictum eſt.Sed ad interrogationem,ſubiungit,occurrere oportet;

tet; ideſt ratione reſpondere. Interroganti. Vtrum rectus angulus, circulus, & animal priora ſunt, an eorũ partes, in quas diuidũtur, & in quibus ſunt partibus? Reſpõdet, non eſſe ſimpliciter reſpondendum, quod hoc exemplo probat. Anima, quæ eſt quod quid erat eſſe tali corpori multa ſignificat, ad multa autẽ multipliciter reſponden dũ eſt. Quare ſi anima, inquit, animal eſt, & ſi anima animatum eſt, aut ſi anima eſt vnumquodque, cuius eſt anima, aut ſi anima eſt vniuſcuiuſque, cuius eſt anima; & ſi circulus eſt circulo eſſe, & rectus angulus recto angulo eſſe. quorum vnumquodq; in vna conſideratione aliud, in alia verò conſideratione aliud ſignificat. Quare, ſubiun git, exemplum de recto angulo, in quo ſenſu & prius, & poſterius dicatur eſſe dicens. Subſtantia quoq; recti ali quid eſt, quod autem aliquid eſt, in tali ſignificatu, & ſub ſtantia eſt, & prior eſt. Poſteà & aliquo (inquit) poſterius dicendum ipſum rectum eſſe; ſicut ſubſtantię recti, quę, ait, eſt in ratione, & aliquo recto; ideſt, ſingulari. Quoniam, ſubiungit eſt rectus angulus, qui cum materia eſt æneus angulus, & hic, qui Mathematicus in ſingularibus lineis angulus, & ipſe cũ materia intelligibili, quatenus eſt in ſingularibus lineis. Subſtantia, inquit, recti, quæ in ratione eſt; ideſt, quæ ſine materia eſt poſterior eſt ſubſtantia ſingulari. Id quod in duodecimi Libri Capite quinto eſt videre, vbi ait. Singularia tantum eſſe, & dein de ſpecies ſubſtantiarum. Quatenus autem ratio poſte rior ſit ſingulis rebus, prior tamen eſt partibus ſingulorum, quæ ſunt materia, & forma. Iccirco ait ad illas interrogationes ſimpliciter non eſſe reſpondendum. Quia autem diuerſa ſunt, & non eadem anima, & animal; ideò diuerſa, & habitudo alterius ad alterum eſt.

CAPVT XI.

Meritò autem dubitatur etiam quænam speciei sint partes, quæ verò non, sed eius quod simul sumitur, cum & hoc non est existente manifesto, non sit definire vnũquodque: vniuersalis etenim & speciei definitio est. quæ igitur partium vt materia sunt, & quæ non, si non sint manifestæ, nec ratio rei manifesta erit. Quæcunque igitur apparent aduenientia in diuersis specie, vt circulus in ære, ligno, & lapide, hæc quidem manifesta esse videntur: quoniam nihil substantiæ circuli æs, neq; lapis est: propterea quod ab eis separetur. quæ verò non videntur separari, nihil quidem prohibet similiter ijs se habere: quemadmodum si circuli omnes uiderentur ænei. nihil enim minus æs non sit ipsius speciei: difficile tamen est, hoc mente auferre: vtputa species hominis semper in carnibus, & ossibus, & talibus partibus apparet. vtrum igitur sint hæc partes speciei & rationis, an non, sed materia? Verum quoniam non adueniunt etiam in alijs, non possumus separare. cum autem hoc videatur quidem contingere: quando autem non est manifestum, quidam etiam de circulo, & triangulo dubitant, tanquàm non deceat lineis, & continuo definiri: sed hæc omnia similiter dici, sicut carnes, & ossa hominis, & æs, & lapis circuli, & cuncta referunt ad numeros, & lineæ rationem, eamq; duorum esse dicunt. Eorum etiam, qui Ideas dicunt, quidam ipsam lineam dualitatem, quidam lineæ speciem. quædam etenim eadem esse, speciem, & cuius species, vtputa dualitatis, & dualitatis speciem. in linea verò non est. Accidit itaq; & vnam multorum speciem esse, quorum species videtur diuersa. quod etiam Pythagoricis accidebat. & contingit vnam omnium facere ipsam speciem, cætera uerò non species. at hoc modo unum omnia erunt. Quod itaq; habent aliquam dubitationem ea, quæ circa defini-

tiones sunt, & quam ob caussam, dictum est. quare cuncta ita reducere, & auferre materiam, superuacaneum est. quædam namq; fortasse, hoc in hoc sunt, aut sic hæc habentia. Et comparatio de animali, quam iunior Socrates dicere solebat, non benè se habet. abducit enim à verò, & opinari facit tanquàm contingeret hominem sine partibus esse, quemadmodum absque ære circulum. hoc autem non est simile. Etenim sensiblile quiddã fortassis animal est, et absq; motu definire non est, Quare neque sine partibus, quodammodo se habentibus: non enim omnino pars hominis est manus, sed illa, quæ potest opus perficere: quare animata existens, non animata vero non est pars, Circa Mathematica vero, cur rationes non sunt partes rationum? vt circuli, semicirculi? hæc enim non sunt sensibilia: an nihil refert? erit namq; quorundam etiam non sensibilium materia, & omnis quod non est quid erat esse: circuli itaq; vniuersalis quidem non erunt, singularium verò erunt hæ partes, vt prius dictum est: est etenim materia, quædam sensibilis, quædam intellectualis. manifestum autem est, quod anima quidem substantia prima, corpus verò materia: homo verò vel animal, quod ex ambobus, vt vniuersale. Socrates verò, & Coriscus, anima quidem, duplex: hi enim, vt animam dicent, illi autem, vt ipsum totum. Quod si simpliciter anima hæc, & corpus, quemadmodum vniuersale etiam, & singulare. Vtrum autem præter materiam, huiusmodi substantiarum sit aliqua alia, & oporteat quærere substantiam eorum aliquam aliam, vtputa, numeros, aut aliquid tale, posterius considerandum est, huius enim gratia et de sensibilibus substantijs definire tentamus, quandoquidem quodammodo physicæ, & secundæ philosophiæ opus est, ea quæ circa sensibiles substantias speculatio est. non enim solum de materia physicum cognoscere oportet, sed etiam de ea, quæ secundum rationem, & magis. In definitionibus verò quomodo partes, quæ in ratione sunt, & cur vna ratio, definitio (patet

etenim

etenim quod res vna) res autem quomodo vna partes habens, posteà considerandum est. Quid igitur est, quod quid erat esse, & quomodo ipsum per se ipsum. vniuersaliter de omni dictum est, & cur quorundam ratio ipsius quid erat esse habet definiti partes, quorundam non, & quod in ratione quidem substantiæ, quæ ita partes sunt vt materia, non inerunt: non enim sunt illius substantiæ partes, sed totius. Huius verò est quodammodo ratio, & non est. cum materia namq; non est, indefinitum etenim. secundum primam autem substantiã, est vt hominis, animæ ratio. substantia enim est species, quæ inest, ex qua & materia tota dicitur substantia, vt concauitas: ex hac enim & naso, simus nasus, & simitas est. bis nanq; in ijs inerit nasus. in tota verò substantia, vt naso simo, aut Callia, inest etiam materia & quod quid erat esse, & vnumquodque. in quibusdam quidem idem est, vt in primis substantijs, vtputa curuitas, & curuitati esse si prima est. dico autem primam, quæ non dicitur eo quod aliud in alio sit, & subiecto vt materia. Quæcunque verò vt materia, vel vt simul cum materia sumpta sunt, non idem, neq; secundum accidens, ut vnum Socrates, & musicum. hæc enim secundum accidens eadem sunt.

EXPOSITIO.

IN proximè præcedenti Capite dixerat speciei partes esse partes rationis, quidnam autem essent huiusmodi partes non dum indagauit. Quare in præsenti Capite perquirit dicens. Meritò autem dubitatur etiam, quænam speciei sint partes, & quę partes non sint speciei partes, sed totius; idest, quod simul cum specie sumitur. Et quoniam, subiungit, hoc nõ existente, manifesto non erit notum quomodo vnumquodq; definiendum sit. Quoniam verò tantum vniuer-

ſalis,& ſpeciei eſt definitio; ideò ait,quæ partium ſunt, vt materia,quę verò non vt materia,ſed vt ſpecies ſi non ſunt manifeſta,nec ratio rei,quæ eſt definitio erit manifeſta. Quas partes,vt oſtendat quid vnaquęq; earum ſit, ait. Quæcunq; aduentitia apparent in diuerſis ſpecie materijs,ſicut circulus apparet in ligno,ære, lapide, & alijs huiuſmodi. Hęc quoniam manifeſtè videntur à materia ſeparari,dum in diuerſis materijs fiunt, Ideò, ait,dicendum eſt ſubſtantię circuli nihil eſſe ęs,aut lapidem,quia videtur ab eis ſeparari. Deinde quæ,inquit,ſpecies non videntur à materia ſeparari,ſed ſemper in eadem materia eſſe,nihil prohibet eas ita ſimpliciter ſe habere; id eſt,inſeparabiles à materia eſſe dicendas. Sicut ſi omnes circuli ænei viderentur; licet,æs,nihil ſit ſpeciei,difficilè tamen,ait,eſt hoc mente auferre; ideſt,formam à materia,in qua ſemper eſſe videtur. Sicut ſpecies hominis ſemper in carnibus,& oſſibus,& huiuſmodi partibus apparet. Quorum veritatem,vt exquirat,ait. Vtrum igitur ſint hæc; ideſt,caro,oſſa,& id genus alia partes ſpeciei, & rationis an non ſint partes ſpeciei, ſed materia ſint. Pro cuius dubij ſolutione,ait. Verum quoniam non videntur ſpecies,& ratio etiam in alijs materijs aduenire, ideò ait,has ſpecies ab ijs materijs non poſſumus ſeparare. Quare, ſubiungit,hoc ita videtur contingere; id eſt,hoc ita videtur eſſe. Ideò obſcurum eſſe,inquit,quomodo oporteat vnumquodq; definire,quia quidā etiam philoſophi de eodem dubitarunt. Quidnam etiam, inquit,de circulo, & de triangulo dubitant putantes non conuenire eos lineis,& continuo definire hoc modo. Circulus eſt ſuperficies vna linea contenta; triangulus verò eſt ſuperficies tribus lineis contenta; ſed lineam, & ſuperficiem dici,ſicut in homine dicuntur carnes, &

oſſa,

ossa,& sicut dicitur æs,& lapis circuli. Quapropter cuncta in definitionibus referunt ad numeros, & ad rationem lineæ,eamq; duorum esse dicunt. Quare lineam dualitatem dicebant.Quomodo definiendũ esset etiam ij,qui Ideas ponebant ambigere videntur. Quia ipsam lineam quidam dualitatem esse dicebant,quidam lineę speciem,quidam tandem dicebãt eadem esse speciem, & cuius est species; idest dualitatem, & dualitatis speciem. Ideò infert,in linea non esse partem definitionis. His, qui Ideas ponunt,ait,accidere, vt vna species sit multorum,quorum species videtur esse diuersa. Id quod etiam, subiungit Pythagoricis accidisse, quibus accidit, vt vnam speciem omnium quæ sunt facerent ita,vt cętera,quæ sunt species,non sint species.Hoc modo,ait,omnia erunt vnum. Quæ quidem omnia dicere possum accidere nostris in communi modo philosophandi,qui entia transcendentia,& alia vniuersalia separata ponunt. Ex quibus,ait,patere ea,quæ circa definitionem sunt,habere aliquam dubitationem, & quam ob caussam,dictum esse.Quoniam denuò,inquit,aliqua separabilia esse videntur, aliqua verò inseparabilia, & quoniã inconuenientia accidunt ijs,qui speciebus separatis philosophantur; ideò ad hæc dubia ita respondet. Quare cuncta ita reducere ad species, & auferre materiam superuacaneũ,inquit,est; idest nulla necessitas cogit.Quare,subiungit,Quædã namq; fortasse hoc in hoc sunt; idest,hęc forma in hac materia,non autẽ sine materia,sed sic hęc habentia;idest,sic hęc forma se habens in materia; sine materia verò nõ esse sic;idest hominẽ ex specie,& carnibus,& ossibus,vel ex anima,& corpore sic se habere.Posteà Platonem appellat iuniorẽ Socratem, sicut & Plato in Parmenide Aristotelẽ appellat iuuenẽ.

Ac aduersus modū eius philosophandi,in quo sunt species à materia separatæ disputat, sumpta occasione ex comparatione rerum sensibilium ad species in nostro animo existentes, quam facit Plato in sophista paullò vltra medium. Vbi licet non meminerit de Aristotele, tamen aduersus eius philosophiam,quę speciem in materia ponit esse,& separabilem non esse ita, vt post separationem verum dicat, qui dicit eam speciem esse, Hospitem,& Theętetum disputātes introducit. Tum vt suæ philosophiæ dogma ostendat,ponit exemplum de animali generabili,& corruptibili; idest,de homine Postea de animi nostri sensibus ratiocinatur, species quæ sunt in mente cum speciebus materialibus comparando,quas ait,& similiter ad inuicem se habere,& easdem esse. Quare aduersus huiusmodi modum philosophandi Aristoteles ait. Et comparatio de animali, quam iunior Socrates dicere solebat non bene se habet,abducit enim à vero,& opinari facit,ac si contingeret hominem sine partibus esse; idest,sine carnibus,& ossibus. Sicut absq; ære circulum. Quare,ait, hoc non esse simile; idest animal,& animam,nec bonam horum esse cōparationem. Quare, subiungit. Etenim sensibile quiddam fortassis est animal,& sine motu non contingit id definire. Quare animal non est,inquit,definire sine partibus quodammodo se habentibus. Quam ob caussam, subiungit, non esse omnino partem hominis manum mortuam. Sed illam esse partem hominis, quæ potest suum opus perficere.Quare animata existens est pars hominis,non animata verò non est pars hominis.Ob hanc caussam sicut pars corporis,quæ est vt materia sine specie non esset pars: vtputa hominis; ita nec species sine carnibus,& ossibus esset species hominis ita,vt speciem

necesse

necesse est dicere, quod quid erat esse. Verum quoniam Mathematica non sunt sensibilia; ideò dubitationem proponit cur in Mathematicis non sint rationes partes rationum: sicut circuli, & semicirculi? Ad quam respondet. Tametsi hæc non sint sensibilia, sed intelligibilia, erit tamen quorundam etiam non sensibilium materia. Omnium, subiungit, quæ non sunt quod quid erat esse, esse materiam. Deinde, ait, circuli vniuersalis non erunt partes, quoniam est ratio vniuersalis ipsius quod quid erat esse: sed singularium circulorum sunt partes huiusmodi, licet non sensibilium, sed Mathematicorum. vt in præcedenti Capite dictum est. Quare, subiungit. Est etenim materia quædam sensibilis, quædam intellectualis sensibilis. Sicut naturalium, & artificiatorum: intellectualis singulorum in Mathematicis. Posteà manifestum esse, inquit, animam substantiam esse primam. Quia incorporeum est prius corporeo; ideò animam primam substantiã dicit; corpus verò eius esse materiam. quod verò ex ambobus constat, vt vniuersale amborum, esse hominem, vel aliquod animal singulare. Nec est inconueniens idem relatum ad diuersa, esse & vniuersale, & singulare. Postea ait, Socrates autem, & Coriscus, si anima sit duplex, significare. Alij enim Socratem animam vt animam dicent: alij verò Socratem animam dicent, vt ipsum totum, quatenus anima, quę est quod quid erat esse, & ipsum totum idem sunt. Posteà quod si quis, inquit, velit, potest multipliciter dicere hoc esse animam; hoc verò esse corpus. Quemadmodum, ait, & vniuersale horum; animæ & corporis, vtputa, Socrates, simpliciter dicitur ita & singulare; idest, & anima, & corpus simpliciter dicitur. Deinde, sitne, inquit, præter materiam; idest, separata à materia aliqua alia substantia? Et an opor-

oporteat quærere aliquam aliam ſubſtantiam horum ſenſibilium,vt numeros,aut aliquid tale; ideſt,Ideas,vel Mathematica,poſterius,ait,conſiderandum eſt.De quibus huius Libri Capite decimo tertio, & decimo quarto eſt acturus.Verum quoniam toto hoc Septimo Libro tractat De ſubſtantia ſenſibili, & de cauſſis eius intrinſecis,vt primus philoſophus. De hac ſenſibili ſubſtantia quia etiam phyſicus ſpeculatur; ideò ait. Huius gratia etiam tentamus de ſenſibilibus ſubſtantijs definire. Quandoquidem quodammodo phyſicæ,& ſecundæ philoſophiæ eſt de ſenſibilibus ſubſtantijs ſpeculari. Quoniam, ſubiungit, non ſolum de materia phyſicum cognoſcere oportet,ſed etiam de ea ſubſtantia,quę eſt ſecundum rationem, vel certè multò magis. vt legere eſt ſecundi phyſicorum Caput ſecundum. Verum quoniam in ſequenti proximo Capite agit de definitione, cum quomodo vna ſit ratio, tum quomodo partes habeat; ideò ait. In definitionibus verò quomodo ratio vna, & quomodo partes habeat? Poſteà, reſpondet, conſiderandum eſſe. Poſtremò quaſi repetens ea,quę de ipſo quod quid erat eſſe diſſeruit, ait. Quid igitur eſt quod quid erat eſſe,& quomodo ipſum per ſe ipſum, vt in quarto,quinto,& ſexto huius Libri Capite fuſe dictum eſt,ait, Vniuerſaliter de omni dictum eſt. Poſteà de ratione eius quod quid erat eſſe,ait. Et cur quorundam ratio ipſius quid erat eſſe,habet definiti partes; quorundam verò non habet,definitum eſt totum. Definitum eſt totum,definiti partes ſunt ſpecies,& materia: quando ratio ipſius quid erat eſſe,vt totum dicit,habet definiti partes; ideſt huiuſmodi rationis partes ſunt materia,& forma: quando verò ratio ipſius quid erat eſſe, tantum ipſum quid erat eſſe dicit, partes rationis non

ſunt

ſunt definiti partes. Tum de eadem ſubſtantia, quæ eſt quod quid erat eſſe, ait. Et quod in ratione ſubſtantiæ; ideſt, ſubſtantiæ, quæ eſt ipſum quod quid erat eſſe, partes, quę ita ſunt, vt materia non inerunt. Partes nanque, vt materia non ſunt partes illius ſubſtantiæ, ſed ſunt partes totius; ideſt partes, quę ſunt vt materia, non ſunt partes ſpeciei, ſed ſunt partes totius. Poſteà de ipſa materia. Huius verò, inquit, ideſt, huius materię, eſt quodammodo ratio, & quodammodo non eſt: quomodo ſit eius ratio, ait. Cum ipſa materia non eſt indefinitum aliquid. Quæ ideò non eſt quid indefinitum, quia ſubſtantię, quę eſt vt totum, aliquid eſt; ideſt, potentia eſt, & ſubiectum. Poſteà de anima humana, ait. Ratio animę hominis eſt ratio ſecundum primam ſubſtantiam, ideò animam primam ſubſtantiam appellat. Pręſertim verò hominis animam, quam alibi dixit deforis aduenire. Etenim ſubſtantia incorporea, quę eſt anima, vt in ſecundo de anima eſt prior, quàm corporea ſubſtantia animata. Poſteà tum de forma, tum de materia, tum de toto ex ijs, quod eſt, ait. Subſtantia eſt ſpecies, quæ materię ineſt, ex qua, & ex materia tota dicitur ſubſtantia: quæ ſpecies eſt, ſicut concauitas, ex qua concauitate, & ex naſo, ſimus eſt naſus. & ſimum; in his ait bis inerit naſus, dum dicitur naſus ſimus eſt, ac ſi diceretur, naſus naſus eſt curuus. Quare, ſubiungit, In tota ſubſtantia, vt naſo ſimo, aut in Callia ineſt etiam materia. Poſteà de primis ſubſtantijs, quarum vnaquęque eſt totum ex forma, & ex materia, ait. Et quod quid erat eſſe, & vnumquodq; in quibuſdam quidem idem eſt, vt in primis ſubſtantijs. Sicuti curuum, & curui eſſe. Si prima eſt, ſubiungit, ideſt, ſi prima ſubſtantia eſt. Deinde quid ſit prima ſubſtantia, ait. Dico autem primam ſubſtantiam ideò, quia non dici-

tur aliud in alio esse: sicut sunt accidentia, & secundæ substantiæ, quæ de alio dicuntur. Et subiecto, subiungit, vt materia; idest, vel in subiecto quæ sunt, sicut species in materia, vt in materia existens. Quæ ita repetit. Quęcunque verò vt materia: idest, quæcunque sunt prout in materia sunt, vel prout simul cum materia sumpta sunt, non sunt idem ipsa & eorum quod quid erat esse: neq; sunt eadem, quę secundum accidens sunt eadem; idest, ipsa, & eorum quod quid erat esse. Sicut Socrates, & musicum, quia secundum accidens eadem sunt.

CAPVT XII.

Nunc autem primo dicamus, quatenus in Analyticis de definitione non est dictum, dubitationem quæ in illis dicta est, proderit rationibus de substantia. Dico autem hanc dubitationem, quare vnum est definitum, cuius rationem definitionem esse dicimus. vt hominis animal bipes (sit namq; eius ratio) cur igitur hoc vnum est, non autem multa animal, & bipes? homo enim & album multa quidem sunt, cum non insint alterum alteri. vnum verò cum insint, & subiectum, vt homo, aliquid patiatur. tunc enim albus homo vnum fit, & est. Hic verò non est alterum alterius particeps. genus etenim non videtur particeps esse differentiarum, simul namq; contrariorum idem participaret. differentiæ nanq; contrariæ, quibus genus differt. quod si etiam participat, eadem ratio est, si differentiæ quidem plures sunt vt gressiuum, bipes, implume. Cur enim vnum, sed non multa sunt hæc: non enim quia insunt, sic enim ex omnibus erit vnum: sed quia oportet vnum esse, quæcunq; in definitione sunt. definitio nanq; ratio quædam vna, & substantia est, quare vniuscuiusƿiam oportet ipsam esse rationem.

Etenim

Etenim substantia vnum quiddam & quod quid, vt dicimus, significat. Oportet autem primò considerare de ijs, quæ secundum diuisiones sunt, definitionibus. nihil enim aliud in definitione est, nisi (quod primum dicitur) genus & differentiæ. Cætera verò genera sunt, & ipsum primum, & post hoc, quæ comprehenduntur differentiæ, vtputa ipsum primum, est animal, consequens verò, animal bipes, & rursus animal bipes, implume. Similiter etiam si per plura dicatur, & omnino nihil differt per multa, an per pauca dicatur. neque vtiq; per pauciora quàm dico. Duorum verò hoc quidem genus, hoc verò differentia: vtputa huius, animal bipes, animal quidem genus, differentia verò alterum. Si igitur genus simpliciter non est præter eas, quæ vt generis species sunt, aut: si est quidem, sed tanquam materia est. (vox nanq; genus & materia, differentiæ autem species, nam elementa quoque ex hac faciunt) manifestum est, quod definitio est ex differentijs ratio. At verò oportet etiam diuidi differentia differentiam. vtputa animalis differentia est vt pedes habere, rursus animalis habentis differentiam scire oportet, prout pedes habet. quare non est dicendum pedes habentis aliud plumiferum, aliud implume, si bene dicatur (verum quia non potest faciet hoc) sed si aliud fissos, aliud non fissos pedes habens. Hæ enim pedis differentiæ sunt. Fissio nanq; pedum aliqua peditas est. & sic semper procedi vult donec ad indifferentia deueniatur. tum verò tot pedis species erunt, quot differentiæ. & pedes habentia animalia, æqualia differentijs. Si igitur hæc ita se habent. Si igitur hæc ita se habeant, manifestum est, quod vltima differentia, rei substantia erit, & definitio. nec sanè oportet crebrò eadem in definitionibus dicere, superfluum namq; est. Accidit autem hoc; cum enim animal pedes habens, bipes dicat, nihil aliud dixit, nisi animal pedes habens, duos pedes habens. Etsi hoc propria diuisione diuidat, crebrò & æqualiter, ac differentias dicet. Si igitur differentiæ diffe-

rentia fiat, vna quæ vltima est erit species, & substantia. Si autem secundum accidens, vt si diuidat, habentis pedes aliud album, aliud nigrum tot quot sunt sectiones. Quare manifestum est, quod definitio est ratio, quæ ex differentijs est, & ex harum vltima secundum rectum. patet autem hoc, si quis transponat tales definitiones (vtputa hominis) dicens animal bipes, habens pedes. Superfluum enim est habens pedes, dicto bipede. ordo verò non est in substantia. quo nanque modo intelligere oportet, hoc quidem prius, illud verò posterius? De ijs igitur definitionibus, quæ secundum diuisiones fiunt, quales quædam sunt, hactenus dicta sint.

EXPOSITIO.

IN proximè superiore Capite dubium reliquit, quomodo ratio, & vna ratio esset, & partes haberet; in præsenti verò vt hoc declararet, ait. Nunc autem primum dicamus, quatenus in Analyticis de definitione dictum non est. De Analyticis rationibus definitionum in secundo posteriorum, & in duobus proximè præcedentibus Capitibus agit. Quia verò definitio est ratio substantiæ; ideò subiungit. Proderit rationibus de substantia. Dico autem, subiungit hanc dubitationem. Quare vnum est ipsum definitum, cuius rationem definitionem esse dicimus, quæ definitio si hominis esset, Animal bipes diceretur. Cur igitur hoc definitum; idest, homo, est vnum, & non multa; idest, animal, & bipes? sicut multa sunt homo, & album dum alterum alteri non insit? Quoniam cum alterum alteri insit, vt subiecto, & quatenus homo patiatur aliquid, ait, vnum sunt. Quare, subiungit, quamuis homo & album hoc modo vnum sunt; non est tamen alterum

alterius

alterius particeps; ideſt, homo non eſt pars albi, neque album eſt pars hominis. Deinde de genere, & differentijs ait. Genus non videtur eſſe particeps differentiarum. Nam cum differentię contrariæ ſint, ſequeretur genus eſſe ſimul particeps contrariorum, quod eſt inconueniens. Poſteà, inquit, Vt ſint contraria ſimul in vno, quandoquidem ſunt plures differentię in vno definito. Sicut in homine greſſiuum, bipes, & implume; cur hæc vnum ſunt, & non multæ? Non enim, ſubiungit, quia inſunt. Quia ſic ex omnibus eſſet vnum; hoc eſt, ſi quatenus alia differentia alij ineſt, eſſent vnum, ex omnibus animal eſſet, nec eſſent greſſiuum, bipes, & implume. Sed ideò, ſubiungit, vnum ſunt, quia oportet, inquit, vnum eſſe ea, quęcunq; in definitione ſunt. Ob hanc cauſſam, quia definitio vna quædam ratio eſt, ideò definitio ſubſtantia eſt. Quare definitionem, ait, ipſam oportet eſſe vnius, cuiuſpiam rationum. Verum quoniam & definitio eſt ſubſtantia, & definitum eſt ſubſtantia; ideò vt probet & definitionem eſſe vnam rationem, & definitum eſſe vnum, ait. Etenim ſubſtantia vnum quiddam, vt quod quid, vt dictum eſt, ſignificat. Quæ vt probet ſic ſe habere, ait. Oportet autem primò conſiderare de ijs definitionibus quę ſecundum diuiſiones ſunt. Nihil aliud, inquit, in definitione eſt, niſi quod primum dicitur; ideſt, quod eſt primum in ratione; hoc autem eſt genus, & ipſæ generis differentię, ita vt in ipſa ſerie differentiarum primò ſint genera, poſteà verò differentiæ, quæ ab ipſis generibus comprehenduntur. Sicut ipſum primum eſt animal, conſequens verò differentia, quæ à genere comprehenditur, eſt, animal bipes, & rurſus animal bipes, implume. Similiter etiam ait ſi per plura dicatur, nec omnino

quic-

quicquam differt per multa an per pauca dicatur; non oportet tamen per pauciora, quàm per duo, quorum alterum est genus, alterum verò differentia. Sicut huius definitionis. Animal bipes. Animal est genus, bipes, differentia. Posteà vt probet definitionem esse ex differentijs rationem, ait. Si igitur genus simpliciter non est præter eas, quæ vt generis species sunt (vt docet primi Topicorum Capite tertio) aut si est tanquàm materia est. Manifestum esse, inquit, definitionem ex differentijs rationem esse, quatenus differentia est generis differentia, eatenus definitionis ratio est. Quod dixerat, etsi genus est præter eas, quæ vt generis species sunt, hoc id exemplo probat. In oratione elementa sunt, vox, & species verborum. Vox est genus acutæ, humanæ, Socratis vocis. Item vox est materia acutæ, humanæ Socratis vocis, ita vt genus sit materia. Id quod & Quinti Libri Capite vigesimo octauo, & Libri Decimi Capite vndecimo patet. Quare, subiungit. Nàm ex hac; idest, ex hac voce faciunt elementa; ideò, & syllabas, & orationem. Verum quoniam species est hoc aliquid; materia verò non est hoc aliquid, ideò ait. Manifestum est definitionem esse ex differentijs rationem. Posteà quomodo diuisiones differentiarum in ratione definitionis fiunt, ait. At etiam oportet diuidi differentia differentiam: sicut animalis differentia est pedes habere. Rursus ait animalis pedes habentis oportet scire differentiam, quatenus pedes habet. Quare, subiungit, non est dicendum. Animalis pedes habentis aliud est plumiferum, & aliud implume, si bene dicatur, & oportet scire si sint differentiarum differentiæ. Quapropter, subiungit, Verum quia non potest, faciet; idest, quando non potest per proprias differentias diui-

di,

di,tunc faciet per alias. Quamuis si benè dicatur,opus sit dicere aliud fissos, aliud verò non fissos pedes habens. Etenim hæ pedis differentiæ sunt,& quędam peditas. Hoc modo, subiungit, semper procedi vult; idest,semper procedi oportet donec ad indifferentia deueniatur. Tum, subiungit,tot pedis species erunt,quot & differentiæ,& erunt animalia pedes habentia. Quare si igitur,inquit,hæc ita se habent, manifestum est vltimam differentiam substantiam rei esse,& ipsam definitionem. Quia verò in definitionibus eadem non licet repetere; ideò ait.Nec sanè oportet crebrò eadem in definitionibus dicere, quoniam superfluum est. Id quod,ait,accideret illi, qui in dfienitione animalis diceret. Animal pedes habens, animal bipes. Hoc, ait, nil aliud, dixit, nisi animal pedes habens, duos pedes habens. Si igitur,subiungit,differentiæ differentia fiat; idest,si differentia differentia diuidatur,vna,quæ ultima differentia est,erit species, & substantia definiti. Posteà, inquit, si quis diuidat differentiam secundum accidentia: sicut si diuidat habentem pedes in album,& nigrum; tunc quot, inquit, sectiones erunt, tot subiectorum species per accidens erunt. Ex quibus infert.Quare manifestum est definitionem esse rationem, quæ ex differentijs constat,siue potius quæ ex harum differentiarum vltima, quæ est secundum rectum in ipsa diuisione; idest,quę vltima differentia secundum propriam, & per se differentiarum diuisionem est. Quod vt probet, ait. Patet autem hoc ita se habere,si quis transponat differentiam posteriorem priori differentiæ, reperiet illam priorem superfluè positam. Sicut si quis diceret hominem animal bipes, habens pedes. Superfluum, inquit, esse dicere habens pedes, cum prius dictum

ctum fuerit,bipes. bipes enim continet in ſe habentem pedes. Quod etiam hac alia ratione probat,dicens. Ordo non eſt in ſubſtantia; ideſt ordinem differentiarum,vel ordinem aliquorum rationum non eſſe in ſubſtantia. Nàm ſubſtantia eſt vnum aliquid, ſimiliter & eius ratio, eſt vna ratio, & ideò vnius ratio. Propterea quonamque modo, ſubiungit, intelligere oportet hoc prius, illud poſterius eſſe in ſubſtantia, quæ vna eſt. Ideò vltima differentia eſt definitio, & ſubſtantia rei. Atque ſic de definitionibus, quæ ſecundum diuiſiones ſunt, ſe egiſſe dicit, quales quædam ſint.

CAPVT XIII.

CVm autem de ſubſtantia conſideratio ſit, rurſus redeamus: dicitur autem ſicut ſubiectum ſubſtantia eſſe, & quod quid erat eſſe, & quod ex, & vniuerſale. De duobus itaque dictum eſt, etenim de quid erat eſſe, & de ſubiecto, quod dupliciter, ſubijcitur aut quod quid exiſtens, vt animal paſſionibus, aut vt materia actui. Videtur autem etiam vniuerſale cauſſa quibuſdam eſſe maxime, ac eſſe principium ipſum vniuerſale. Quare de hoc etiam tractemus. Videtur namq; impoſſibile, ſubſtantiam eſſe vnumquodq; eorum, quæ vniuerſaliter dicuntur: prima namque ſubſtantia vniuſcuiuſque, quæ propria cuiusq; eſt, quæ alij non ineſt: vniuerſale verò commune, hoc enim dicitur vniuerſale, quod pluribus natura aptum eſt ineſſe: cuius igitur hoc erit ſubſtantia? aut enim omnium, aut nullius: omnium verò non eſt poſſibile. vnius autem ſi erit, cætera quoq; hoc erunt: quorum enim ſubſtantia vna, & quod quid erat eſſe vnum, ipſa quoq; vnum ſunt. Item ſubſtantia dicitur, quod non de ſubiecto, vniuerſale verò de ſubiecto aliquo dicitur ſemper.

Sed

Sed vtrum ita quidem non contingit, vt quod quid erat esse? in ipso autem ineſt: vtputa animal in homine, & equo. patet igitur, quod erit aliqua eius ratio: differt autem nihil, ſi non omnium ratio eſt eorum, quæ in ſubſtantia ſunt. Etenim nihil minus hoc erit ſubſtantia alicuius, vt homo hominis, in quo exiſtit: quare iterum idem accidit: erit enim ſubſtantia illius ſubſtantia, vt animal ſpeciei, in qua vt proprium exiſtit: item inconueniens, ac impoſſibile ipſum quid & ſubſtantiam ineſſe, ſi ex aliquibus, non ex ſubſtantiis: nec ex eo quod quid eſt, ſed ex quali: prius namq; non ſubſtantia, & quale erit, quàm ſubſtantia: & quod quid, quod impoſſibile eſt: nec ratione enim, nec tempore, nec generatione poſſibile eſt paſſiones priores ſubſtantia eſſe, eſſent namq; ſeparabiles. Item Socrati ſubſtantiæ inerit ſubſtantia. quare duobus erit ſubſtantia, & omnino ſi homo, & quæcunq; ita dicuntur ſubſtantia eſt, accidit nihil eorum, quæ in ratione ſunt alicuius, ſubſtantiam eſſe, nec ſine ipſis exiſtere, nec in alio. dico autem, vtputa, non eſſe aliquod animal præter aliqua, nec vllum aliud eorum, quæ in ratione ſunt ex iis itaq; conſiderantibus patet nihil eorum, quæ vniuerſaliter exiſtunt ſubſtantiam eſſe, nihilq; eorum, quæ communiter prædicantur, quod quid, ſed tale ſignificare. quod ſi non, & alia multa accidunt, ac tertius homo. Item ſic quoq; patet impoſſibile namque ſubſtantiam ex ſubſtantiis eſſe, quæ ſic inſunt, vt actu. quæ enim duo ſic actu ſunt, numquàm vnum actu ſunt. ſed ſi potentia duo actu ſunt, erunt vnum. vt duplum, ex duobus dimidiis potentia: actus nanque ſeparat. Quare ſi ſubſtantia vnum non erit ex ſubſtantiis præexiſtentibus: & ſecundum hunc modum, quem recte Democritus dicit: impoſſibile enim, ait, eſſe ex duobus vnum, aut ex vno duo fieri: magnitudines namque indiuiſibiles ſubſtantias facit. Patet igitur quod ſimiliter, & de numero ſe habebit: ſic numerus quidem compoſitio vnitatum eſt, vt à quibuſdam dicitur: aut enim

non est vnum dualitas, aut non inest in ea vnitas actu. habet autem quod accidit, dubitationem si enim nec ex vniuersalibus possibile est vllam substantiam esse, propterea quod tale, & non quod quid significat; nec ex substantijs actu contingit vllam substantiam esse compositam, quicquam incompositum erit profecto omnis substantia: quare neq; ratio vllius substantiæ erit. At cunctis videtur, & iam dictum est, aut solius substantiæ, aut maxime definitionem esse: nunc verò nec huius: nullius igitur definitio erit. An quodammodo quidem erit, quodammodo verò non? manifestum autem quod dicitur, magis erit ex posterioribus.

EXPOSITIO.

QVanquam in omnibus Metaphysicæ Libris dè substantia differit, & magis quàm in alijs post duodecimum in hoc Septimo Libro pręcipuè id agit, in quo tum de specie; idest, de quo quid erat esse; tum de ratione speciei, tum de substantia pluribus modis dicta, de qua quidem substantia multipliciter dicta in primis tribus Capitibus egit, in secundis tribus de quod quid erat esse; in tertijs tribus de ipsa substantia quatenus transmutatur, in proximè præçedentibus tribus de ratione tum partium, tum totorum; in hoc tamen capite, quia reuertitur ad considerationem substantiæ; ideò ait. Cum autem de substantia consideratio sit, rursus ad ipsam considerationem redeamus. Ac sicut in exordio huius Libri quatuor modis substan stantiam appellauit, ita idem in hoc proposito repetens ait. Dicitur substantia sicut subiectum, & quod quid erat esse & quod ex ijs; idest, ex subiecto, quod est materia, & ex specie, quam quod quid erat esse, vt di-

ctum

ctum est, appellat, quod quidem totum, ideò subiectum appellatur, quia subijcitur passionibus. Tertiam substantiam ait esse vniuersale. Verum quoniam vniuersale est tum species, tum genus; ideò de quatuor substantijs etiam hoc loco meminit. De duobus, inquit, itaq; dictum est; idest, de quid erat esse, & de duplici subiecto; idest, & de illo, quod sicut materia actui subijcitur, & de illo, qui sicut Socrates passionibus. Posteà, vt probet vniuersale non esse substantiam, non obstante, quòd aliqui, ait, videntur existimare vniuersale esse maximè caussam & etiam ipsum principium esse vniuersale. Quia verò de positione Idearum, & vniuersalium tempestate Aristotelis erat vulgatissima opinio; ideò neque quid sit vniuersale, nec quid sit Idea sigillatim declarat. Vniuersale autem, vel est separatũ, sicut substantialitas, materialitas, quantitas, qualitas, & huiusmodi, quæ vniuersalia separata sunt Ideæ, vel vniuersalia sunt, quæ sunt rationes rerum, sicut substantia, vel omnis substantia; materia, vel omnis materia; quantum, vel omne quantum; quale, vel omne quale. De hoc posteriore vniuersali in hoc Capite loquitur; in sequenti verò de priore; idest, de Idea Proptereà, inquit. Quare de hoc etiam tractemus. Videtur nanque, ait, impossibile, substantiam esse aliquid eorum, quodcunque sit illud, quod vniuersaliter dicitur; idest prædicatur vniuersaliter. Hic non intelliguntur caussæ vniuersales, sicut est cęlum, substantiæ separatæ, & hæc omnia continens Deus immensus; sed intelliguntur vniuersalia prædicantia ipsas res; idest, vniuersalia, quæ sunt rationes rerum. sicut sunt genera, & species. Quod vt probet, ait, Prima namq; substantia vniuscuiusq; est, quę propria substantia cuiusque est, & quæ alij

non ineſt. Vniuerſale verò commune eſt. Quoniam vniuerſale dicitur hoc,quod pluribus natura aptum eſt ineſſe. Cum verò vniuerſale ita ſit, quærit, Hoc vniuerſale cuius erit ſubſtantiæ? Reſpondet, aut erit omnium, aut erit nullius. Vt omnium ſit ſubſtantia fieri non poteſt. Omnia namq; ſingularia eſſent vnum, ſi vna ſubſtantia omnium eſſet. Si verò hoc vniuerſale vnius eſſet ſubſtantia,cætera quoque eadem ratione id eſſent; ideſt,omnia ſingularia vnum eſſent, quod eſt inconueniens. Quæ vt ratione probet,ait. Quorum eſt ſubſtantia vna,& quod quid erat eſſe vnum; ipſa quoque ſunt vnum. Alia ratione argumentatur. Item, inquit,ſubſtantia dicitur eſſe,quod non dicitur de ſubiecto: vniuerſale verò ſemper de aliquo ſubiecto dicitur. Quare vniuerſale ſubſtantia non eſt. Contra hanc conſecutionem pro parte aduerſa ſic animi pendet. Vtrum non contingat? ideſt,vtrum ita ſequi non ſit neceſſe? quoniam & quod quid erat eſſe ſubſtantiæ eſt, & ſubſtantia eſt. In ipſo toto quod quid erat eſſe eſt. ſicut animal in homine,& equo. ex quibus ait patere eius; ideſt, vniuerſalis eſſe aliquam rationem vt ſubſtantia ſit, nec multum referre omnium,quę in ſubſtantia ſunt rationem eſſe,quatenus prima ſunt ipſę ſubſtantię,& aliorum,quatenus ſunt cauſſæ. Quare, ſubiungit,vniuerſale poſſe eſſe ſubſtantiam alicuius, ſicut hominem vniuerſalem hominis ſingularis,in quo vniuerſali exiſtit. Quare iterum, ait accidere, vt proprium ſit ſubſtantia ſubſtantiæ, ſicut animal ſpeciei, in qua ſpecie, vt eius proprium exiſtit. Contra quam rationem denuò argumentatur. Item impoſſibile eſt,inquit,ac inconueniens ipſum quid & ſubſtantiam,ſubſtantiam eſſe,ſi ex aliquibus non ex ſubſtantijs,nec ex eo quod quid eſt: ſed ex

quali

quali ſit. Quod ſi verum eſſet, ſequeretur prius non ſubſtantiam, & quale eſſe, quàm ſubſtantiam, & quod quid, quod fieri non poteſt. Ideò fieri non poteſt, quia nec ratione, nec tempore, nec generatione fieri poteſt, vt paſſiones priores ſint ſubſtantia. Paſſiones namque eſſent ſeparabiles: quod ſimiliter, ait, eſt impoſſibile. Poſteà argumentatur. Si vniuerſale eſſet ſubſtantia, ſequeretur Socrati ſubſtantiæ ineſſe ſubſtantiam, & ideò Socratem eſſe duas ſubſtantias; ideſt, Socrates eſſet ſubſtantia duobus Socratis. Quam conſecutionem inferens, ait. Quare duobus erit ſubſtantia. Poſteà vniuerſaliter argumentatur. Et omnino ſi homo, & equus, & quæcunque ita ſingulorum ſubſtantiæ ſunt. Si hæc, ait, ſubſtantiæ ſunt, nihil horum, quæ in ratione ſunt, ſubſtantia eſt; ideſt, ſi hęc ſingularia ſunt ſubſtantię, nullum uniuerſale eſt ſubſtantia. Ac, ſubiungit, uniuerſalia nec ſine ipſis ſingularibus exiſtere poſſe, nec in alio; ideſt, uniuerſalia nec in ſe exiſtere poſſe, nec in alio ut in ſubiecto; ideſt, in aliquo ſingulari. Quæ ut explanet, ait. Dico autem non eſſe aliquod animal pręter aliqua; ideſt, præter aliqua ſingularia. Nec eſſe, ſubiungit, ullum aliud eorum, quæ in ratione ſunt ſimiliter pręter aliqua ſingularia. Poſteà ex ijs, inquit, itaq; hoc modo conſideratis patet, nihil eorum, quæ uniuerſaliter exiſtunt ſubſtantiam eſſe: nihilq; eorum, quæ communiter prędicantur; ideſt, (de omnibus, uel de pluribus) ſignificare quod quid; ideſt, ſubſtantiam; ſed ſignificare tale. Quare, ſubiungit, ei, qui huiuſmodi rationibus nō acquiſceret multa alia incōuenientia accidere; ſicut, & tertius homo. Vniuerſale enim quod eſt genus hominis ſi ſubſtantia eſſet, homo eſſet, ſimiliter ſpecies hominis ſi ſubſtantia eſſet, homo eſſet. Quare ipſe ſingularis tertius

homo

homo esset. Aliter etiam probat vniuersale quod prædicatur non esse substantiam, inquiens. Item sic quoq; patet, impossibile esse substantiam ex substantijs in ea actu existentibus constare. Quoniam quæ duo ita actu sunt, ea nunquàm actu sunt vnum: sed, subiungit, si duo potentia sunt, possunt esse vnum actu, vt duplum actu, ex duobus dimidijs potentia existentibus, hanc ob caussam, quoniam actus separat, & ex actu vno duos facit actu. Ex quibus sequitur. si substantiam vnum est, non erit ex substantijs actu inexistentibus. In hoc proposito Democriti dictum commendat, dicens. Secundum hunc modum Democritum rectè dicere. Impossibile esse ex duobus vnum, vel ex vno duo fieri. Hic Democritus indiuisibiles substantias facit ratione magnitudinis; id-est, indiuisibili magnitudine substantias. Antiqui namque corpus dicebant esse substantiam. Quod & Porphyrius Scholis persuasit, obscurè tamen dum contradicit autoritati Aristotelis. Idem & in natura numerorum probatur. Si numerus, inquit, compositio vnitatum est, (vt à quibusdam dicitur, vel definitur) aut non est vnum dualitas, aut in ea certè non inest vnitas actu. Quare, subiungit, inconuenienria, quæ accidunt, dubitationem facere. Quare paullò ante dicta repetens, ait. Si enim nec ex vniuersalibus vllum vniuersale possibile est substantiam esse; propterea quod quale significat vnumquodq; vniuersale, non significat verò quod quid. Nec ex substantijs actu existentibus contigit vllam substantiam esse compositam; sequeretur enim omnem substantiam esse aliquid incompositum. Quare sequeretur nullius substantiæ rationem esse. At subiungit, cunctis qui philosophantur videtur substantię definitionem esse. Quod & in superioribus, inquit, à nobis probatum

batum est, aut solius substantiæ, aut certè illius maximè definitionem esse. Nunc, ait, nec huius; idest, nec substantiæ definitionem esse. Ideò sequeretur nullius eorum, quæ sunt, definitionem esse. Quoniam sicut supra dictum est, præter substantiam, cęterorum quodammodo esse, quodammodo verò non esse definitionem; ideò ait. Quodammodo erit, & quodammodo non. Ad extremum hoc, inquit, quod in pręsenti capite dictum est, magis manifestum fore ex ijs, quæ deinceps in sequenti Capite dicenda sunt.

CAPVT XIIII.

EX ijs autem ipsis id etiam patet, quod accidit illis, qui Ideas pariter substantias, & separatas esse dicunt, & pariter ex genere, & differentijs faciunt speciem. Si enim species, & animal in homine sunt, aut equo, aut vnum, & idem numero sunt, aut alterum. ratione namque patet, quod vnum, eandem enim exhibebit rationem, qui dicit in vtroque. Si itaque aliquis homo est ipsum per se, quod quid, & separatum, necesse est, vt etiam illa, ex quibus (sicut animal, & bipes) quod quid significent, & separata, & substantiæ sint: quare, & ipsum animal. Si idem igitur, & vnum quiddam etiam in equo, sicut tu tibi ipsi, quomodo in separatim existentibus idem erit? & cur etiam non absque se ipso animal erit hoc? Deinde si participabit quiddam bipede, & multipede, impossibile quiddam accidit, contrariæ namque simul inerunt ipsi vni, & huic quidem enti. Sin minus, quis modus est, cum aliquis dicat, animal, & bipes, aut progressiuum esse? Sed fortassis componuntur, & tangunt, aut miscentur. At cuncta inconuenientia sunt. Sed diuersum in vnoquoque est. Infinita igitur (vt ita dicam)

cam) erunt, quorum ſubſtantia animal eſt. non enim ſecundum accidens ex animali homo eſt. Item multa erit ipſum animal. Nam & ſubſtantia animal eſt, quod in vnoquoque eſt: non enim ſecundum aliud dicitur. Quod ſi non, ex illo erit homo, & genus eius, illud. Ac item omnia, in quibus homo Ideæ. Non igitur alterius quidem Idea erit, alterius verò ſubſtantia? impoſſibile namque eſt: ipſum verò animal erit vnumquodque eorum, quæ in animalibus ſunt. Item ex aliquo hoc ipſo erit, & quomodo eſt ex ipſo animali? aut quomodo eſt poſſibile eſſe animal, quod hoc ipſum ſubſtantia eſt, præter ipſum animal? Item in ſenſibilibus, & hæc accidunt, & ijs abſurdiora. Quod ſi impoſſibile eſt, ita ſe habere, patet, quod eſt eorum Idea ita, vt quidam aiunt.

EXPOSITIO.

QVoniam, & vniuerſalia, & Ideæ in hoc conueniunt; vtraq; namque aiut eſſe ſubſtantias, & vtraq; de pluribus prædicari; ideò in fine ſuperioris Capitis dixit. Illa, quæ aduerſus opinionem ponentium vniuerſalia ſubſtantias eſſe dicta ſunt, manifeſtiora fore in hoc Capite, in quo aduerſus poſitionem Idearum diſſerit. Atq; illa inconuenientia, quæ ibi ſequi ex vniuerſalibus, ſi ſubſtantiæ eſſent, probatum eſt, hæc eadem, inquit ſequi ex poſitione Idearum, ſi Ideæ eſſent ſubſtantiæ ſeparatæ de pluribus prædicabiles. Quare ex ijs autem ipſis, inquit, id etiam patet, quod accidit illis, qui Ideas pariter ſubſtantias, & ſeparatas eſſe dicunt. Et qui, ſubiungit, ex genere, & differentijs faciunt ſpeciem. In philoſophia Ariſtotelis genus eſt vniuerſalis ratio ſingulorum ſpecie diuerſorum; ſpecies autem eſt ratio vniuerſalis plurium ſingulotum ita, vt

neq;

neq; genus,neq; ſpecies,licèt ſint rationes ſingulorum ſint ſeparabiles,nec ſint per ſe exiſtentia, vt ſubſtantiæ ſint,rationes enim ſingulorum ſunt, & de ipſis ſingularibus dicuntur, & prædicantur. Ea enim vt alibi dictum à nobis eſt,quæ vniuerſalia dicimus non ſunt,ſed ſingularia ſunt. Idea,vt in Parmenide eſt videre,ſpecies eſt vniuerſalis ſeparata à ſingularibus, quę per ſe exiſtit,ſicut quantitas, & non quantum. Nàm quantitas ſonat quantitatem ſeparatam,& ideò ſpeciem,& Ideam per ſe exiſtentē,in illorum modo philoſophandi. Quantum quando in vniuerſali ſignificatu accipitur, eſt vniuerſale; non eſt tamen ſeparabile,nec per ſe exiſtens: quoniam dicit rationem ſingulorum. ſicut huius trianguli, & huius ternarij. huiuſmodi vniuerſalia non eſſe ſubſtantias in ſuperiore Capite probauit. Illa verò vniuerſalia, quæ aiunt eſſe ſpecies ſeparatas, & ſubſtantias, quas Ideas appellant,in pręſenti Capite nititur vt oſtendat ſimiliter ſubſtantias non eſſe. Verum quoniam qui Ideas ponunt aiunt Ideam eſſe tum genus,tum differentiam,tum ſpeciem; atq; ipſam ſpeciem ex genere,& differentia pariter acceptis faciunt dicentes,homo eſt animal rationale. Iccircò dixit. Et pariter ex genere,& differentijs faciunt ſpeciem. Aduerſus quos ita argumentatur. Si enim ſpecies,& animal in homine ſunt (aut ſi in equo ſunt) neceſſariò ſequitur, vel ambo; ideſt, genus,& ſpecies vnum,& idem numero homo ſint,vel certè alterum eorum tantum hominem eſſe. Qui verò hominis rationem eſt redditurus,ambo vnum dicet; ideſt, homo eſt animal rationale. Propterea ambo vnum ſunt,quia vnius hominis una ratio ſunt. Aliud antecedens argumenti ponit,inquiens. Si itaq; aliquis homo eſt ipſum per ſe quod quid, & ſeparatum exiſtens; ne-

cesse est, ait, vt etiam illa, ex quibus hic separatus homo significatur (sicut est animal, & bipes) separata, & substantiæ sint, quatenus substantiæ partes necesse est substantias esse. Quare, subiungit, sequi & ipsum animal esse substantiam separatam. Ex quibus quia sequitur vnum, & idem genus esse, & in equo, & in homine; ideò infert. Si igitur vnum, & idem animal etiam in equo est: sicut est tibi ipsi; idest homini; quomodo, inquit, in separatim existentibus idem erit? Quod si hoc inconueniens concedatur, cur inde & aliud non sequatur, hoc animal etiam absq; se ipso esse? quatenus si in homine est, in se ipso non est: si verò in homine, & in equo similiter sequi; & multò euidentius etiam sine se ipso esse, quod est inconueniens. Deinde, ait, si animal participatur bipede, & multipede, sequitur impossibile; quia contraria simul ipsi vni inerunt, & huic enti. Vnum, & ens hoc loco significant naturam substantiæ separatæ, quæ est Idea; quod est ipsum genus. Et si non sunt, subiungit, vt contraria simul in vno, quis modus est? idest, quomodo insunt animali differentiæ, sicut quando dicimus bipes, & progressiuum? hoc species separata, & illud species separata vtraque substantia? Respondet fortasse tactu componuntur plura actu existentia? aut actu vnum sunt? aut inuicem miscentur? Respondet cuncta hæc esse inconuenientia rationi. Quod si Ideæ sunt, necesse est dicere in vnoquoq; horum diuersorum genus esse, & ideò animal infinitis animalibus esset substantia. Verum quoniam homini, animal non inest per accidens, sed per se; idest, homo per se animal dicitur, similiter, & equus; ideò sequitur etiam hoc inconueniens, animal, quod vna species, & substantia est, esse multa, quorum diuersa est species, & substantia.

ſtantia. Item, ſubiungit, multa erit ipſum animal. Nam animal, quod in vnoquoque eſt, ſubſtantia ipſius eſt. Et ſecundum, ſubiungit, aliud, illud non dicitur, & ſi ſecundum aliud non dicitur; ſequitur ex illo; ideſt, animali eſſe hominem; & illud; ideſt, & illud animal eſſe genus eius. Item, ſubiungit, omnia ex quibus homo eſt, Ideas eſſe. Homo in ſpecie, eſt ſubſtantia, & animal. Quoniam impoſſibile, inquit, eſt, alterius hominis eſſe ſubſtantiam, alterius verò Ideam. Quare infert animal eſſe vnum, quodque eorum, quæ in animalibus; Ideò omnia ex quibus homo eſt Ideæ ſunt. Poſtremò hæc, inquit, Idea, vtputa, homo, ex aliquo hoc ipſo erit; ideſt, ex animali, quod eſt ſubſtantia; & ipſe homo, ideſt, Idea hominis eſt ſubſtantia; quomodo ex hoc erit, quod iam ſubſtantia eſt? aut quomodo poſſibile eſt eſſe animal, quod hoc ipſum & ſubſtantia eſt, præter ipſum animal, homo namque animal, & ſubſtantia eſt? Hæc omnia, ait, in ſenſibilibus accidere, & ijs abſurdiora. Quod ideò dixit, quia in toto hoc Capite de ijs diſſeruit, prout in ſeparatis ſpeciebus dicuntur, quas ſpecies Ideas appellant; non autem quatenus rationes ſenſibilium ſunt. Quare, Quod ſi impoſſibile, inquit, eſt, ita ſe habere; ideſt. Quod ſi impoſſibile eſt, vt tot inconuenientia admittantur, patere, ait, ſenſibilium non eſſe Ideam illo modo, quo quidam eas dicunt.

CAPVT XV.

CVm autem substantia altera sit ipsum scilicet totum, & ratio, dico autem, quod illa quidem ita substantia, cum materia simul accepta ratio, hæc verò ratio simpliciter. Quæcunq; igitur illo modo dicuntur eorum quidem est corruptio. Nam & generatio, rationis autem non est, ita vt corrumpatur, nec enim generatio est (non enim fit domui esse, sed huic domui) sed absq; generatione, & corruptione sunt, & non sunt. Ostensum est enim quod nullus hæc generat, neq; facit. Propterea etiam substantiarum sensibilium singularium, neq; definitio, neq; demonstratio est, eo quod habet materiam, cuius natura talis est, vt esse, & non esse contingat: quare corruptibilia sunt omnia singularia earum. Si igitur demonstratio, & definitio scientia necessariorum est, & non contingit sicut neq; scientiam, quandoq; scientiam, quandoq; ignorantiam esse, sed quod tale est opinio est: ita neq; demonstrationem, neq; definitionem, sed opinio eius est, quod contingit & aliter se habere. patet, quod neq; demonstratio, neq; definitio eorum est. corruptibilia namq; non sunt manifesta ijs, qui scientiam habent, cum à sensu abscesserint: & rationibus eisdem in animo saluis, non erit amplius neq; definitio, neq; demonstratio. Quare cum quis eorum, quæ ad definitionem, quicquam singularium definiat, oportet non ignorare, quod semper perimendum est. Non enim contingit definire. Nec vllam Ideam est definire, singularium enim (vt aiunt) Idea est, & separata. Necessarium autem ex omnibus rationem esse. Nomen verò non faciet, qui definit. Ignotum enim erit. quæ verò posita sunt, omnibus communia sunt. necesse est igitur, & alijs talia inesse. Et si quis te definiat, animal dicet gracile, aut album, aut aliquid aliud, quod & in alio sit, Quod si quis dicat, nihil prohibere separatim quidem omnia

multis

multis, simul verò huic soli inesse primum quidem quod etiam ambobus, vt animal bipes, animali, & bipedi, & in hoc in sempiternis quidem etiam necesse est esse, cum priores existant, & partes compositi. At verò etiam separabilia, si hoc quidem, quod homo, separabile. nam aut nullum, aut ambo: si igitur nullum, non erit genus præter species: quod si erit, erit etiam differentia. Deinde quoniam priora ipsa esse, hæc sanè nō vicissim perimuntur. Deinde si ex Ideis Ideæ minus profectò composita sunt ex quibus. Item de multis oportebit etiam alia prædicari. Ex quibus Idea, vt animal, & bipes. Quod si non, quomodo scietur? erit namq; alia Idea, quam impossibile est de pluribus prædicari, quàm de vno. non videtur autem, sed omnis Idea videtur esse participalis. Quemadmodum igitur dictum est, latet. quod impossibile est in perpetuis definire: maximè verò quæcunque vnica sunt, vt Sol, aut Luna. non solum enim in hoc peccant, quod talia addunt, quibus ablatis adhuc erit Sol, vtputa, quod circuit terram, aut quod nocte absconditur (si enim steterit, aut non apparuerit, non erit amplius Sol,) sed inconueniens est, si non. Sol enim substantiam quandam significat. Item quæcunq; in alio contingunt, veluti si alter fiat talis, patet, quod erit Sol. communis ergo ratio. at Sol singularium erat, sicut Cleon, aut Socrates. Cæterum cur nemo eorum definitionem profert Ideæ? fit enim profectò manifestum tentantibus, verum esse quod nunc dictum est.

EXPOSITIO.

IN hoc Capite ostendit singularium rerum nec definitionem, nec demonstrationem esse, primò in ijs, quæ generantur, & corrumpuntur. Deinde nec in Ideis, si essent, quia & Ideam singularem aiunt esse. Postremò nec in sensibilibus æternis, quæ

sunt

ſunt ſingularia ſicut Sol, & Luna, ſic exordiens. Cum autem ſubſtantia altera ſit ipſum totum, & altera ſubſtantia cum ſit ipſa ratio; illam, ait, ſubſtantiam eſſe rationem cum materia ſimul acceptam, hanc verò alteram rationem ſimpliciter. Quæcunque ſubiungit, illo modo dicuntur, ideſt, vt totum, hæc corruptibilia eſſe ſimiliter, & generabilia. De altera verò ſubſtantia. Rationis autem, inquit, non eſt ita, vt corrumpatur, nec generetur. Quare, ſubiungit, non enim fit domui eſſe, ſed huic domui, quoniam illa abſq; generatione, & corruptione ſunt, & non ſunt. ſicut in Capite octauo huius Libri oſtenſum eſt hæc à nemine generari, nec fieri. Poſtea de ſubſtantijs ſenſibilibus generabilibus, & corruptibilibus, ait. Ideò ſubſtantiarum ſenſibilium ſingularium nec eſſe definitionem, nec demonſtrationem, quia eam habent materiam, cuius huiuſmodi natura eſt, vt ei eſſe, & non eſſe contingat; ideſt, quæ materia ita ad eſſe, ſicut ad non eſſe contingit. Quare corruptibilia eſſe, inquit, omnia earum ſubſtantiarum ſingularia. Quia verò hæc contingentia; ideò eorum neq; ſcientia, neq; demonſtratio eſt. Quod ita probat. Si igitur, inquit, tum demonſtratio, tum definitio eſt ſcientiam faciens neceſſariorum, non autem contingentium. Atqui ſi ſcientia non eſt aliquando ſcientia, aliquando verò ignorantia. Nam huiuſmodi opinio eſt. Quare neque definitionem, inquit, neque demonſtrationem, ſed opinionem contingentium eſſe. Propterea, ſubiungit, corruptibilia namque non ſunt manifeſta ijs, qui ſcientiam habent. Etenim ſcientiam habentes rationes corruptibilium in anima, non autem ipſa corruptibilia habent. Quare etiam poſtquàm ipſa ſenſibilia à ſenſu abſceſſerint, ſaluis in animo rationibus de ipſis ſenſibili-

bus,

bus, ſenſibilium nec eſt definitio, nec demonſtratio. Iccircò, cum quis, inquit, horum ſingularium aliquid definire tentauerit; oportere eum non ignorare ſemper perimendum eſſe; ideſt, ſemper opus eſſe ſubtrahere de rationibus, quibus conandum eſſet ſingulare definiri. Quare infert. Singulare non contingit definire. Iam verò nullam, inquit, Ideam eſſe definiendam. Qui enim Ideas ponunt, aiunt eas ſingulares ſpecies eſſe, & ſeparatas ab ipſis ſingularibus. Quantitas eſt quid ſeparatum à ſingularibus, quantum, licet vniuerſalem ſignificatum habeat, non eſt tamen ſeparatum ab ipſis ſingularibus. Singularia non poſſe definiri etiam ſic probat, dicens. Rationes ex nominibus conſtare, qui autem aliquid ſingulare definit, neceſſe eſt eum id aliquibus nouis nominibus definire; ideſt, inuſitatis, & inauditis; non autem ijs, quæ anteà ad ſignificandum inuenta ſunt. Nam illa prius inuenta nomina ſunt communia omnibus tum primorum, tum nouorum, quorum ſunt nomina. Quare non ſignificant illud ſingulare, ſed plura. Nomina verò excogitata, & nouè impoſita erunt ignota. Quare rationem, inquit, neceſſe eſt, ex nominibus eſſe, Et is qui definiet nomen non faciet, eo quia ignotum tale nomen eſſet; illa verò nomina, inquit, quæ iam poſita ſunt, omnibus communia ſunt, neceſſe eſſe, & alijs talia nomina ineſſe. Sicut ſi quis te definiet, inquit, dicet, animal, aut gracile, aut album, aut aliquid aliud, quod & in alio ſit. Quare ſingulare non definiet. Quod ſi quis dicat, ſubiungit, alijs multis omnia talia nomina ſeparatim ineſſe, nihil prohibere, ſed huic ſoli primò ſimul omnia; atq; ita ſingulare definiri. Nec hunc eſſe modum, quo ſingulare poſſit definiri hoc exemplo probat. Animal, & bipes ſunt nomina, quæ plura definiunt:

ſed

ſed animal bipes; ideſt omnia nomina ſimul non ſolum hominem ſignificant, ſed & ipſum animal, & bipes. Quare omnia nomina ſimul non ſignificabunt ſingulare. Quod item, ait, neceſſe eſſe in ſempiternis; ideſt, in Ideis, quatenus Ideas priores dicunt eſſe, quàm hæc compoſita ex materia, & forma. Quæ partes compoſiti ſunt & ſunt ſeparabilia iuxtà illorum poſitionem. ſeparabiles eſſe partes, quæ ſunt ſicut eſt ſpecies ita probat. Hoc quod modo eſt, inquit, ſeparatus eſt. Quod ſi homo ſeparatus, ſeparata ſunt & genus, & differentia ex quibus conſtat. Quare aut nullum, inquit, aut ambo; ideſt, aut nec homo, aut nec genus, nec differentia; ideſt. Nullum horum erit ſeparatum, quod eſſet inconueniens, quatenus hominem dicunt ſeparatum eſſe, & genus dicunt ſeparatum eſſe. Quare ſi genus eſt ſeparatum præter ſpeciem, erit & differentia ſeparata præter ſpeciem. Deinde quoniam, inquit, hæc ſeparata priora ſunt ipſo eſſe; ideſt, quia Ideæ ſunt priores ipſis rebus; ideò, ſubiungit, viciſſim non perimentur; ideſt, alterum de altero non dicetur cõuertibiliter. Si ex Ideis, ſubiungit, Ideæ non componuntur, quemadmodum aiunt ij, qui Ideas ponunt; manifeſtum eſſe minus compoſita eſſe ea, ex quibus componuntur, & neceſſe eſſe, vt iſtæ Ideæ, ex quibus Ideæ componuntur prędicentur de multis, ſicut animal, & ſicut bipes. Quod ſi hæ ſimpliciores non prædicabũtur de multis, quomodo, inquit, ſcietur? cum illa ſint partes definitionis eorum, quæ ſunt. Quocirca dicendum eſt eas prædicari communiter de pluribus. Ob hanc cauſſam non poteſt definiri harum Idearum ſingulare. Quapropter ſi ſingulare eſſet definibile, oporteret eſſe Ideam aliquam, quæ non poſſet prædicari, niſi de vno, quod eſt contra præſuppoſitum, quatenus

tenus aiunt, unamquamq; Ideam participabilem esse; idest, quatenus dicunt vnamquamq; prædicari de multis. Quare, subiungit, Quemadmodum dictum est, latet singulorum definitio. Postremò vt idem probet & in perpetuis, quæ vnica sunt, sicut est Sol, & Luna. Impossibile est, inquit, in perpetuis definire, & maximè illa, quęcunque vnica sunt, sicut sunt Sol, & Luna. Vtrum quoniam qui Solem definire tentant in eius definitione addunt eum & circumire terram, sua præsentia diem, & sua absentia noctem caussari; ideò hanc definitionem, ait, non definire solem, quoniam etiam ijs ablatis, erit Sol. Sol nanq; est substantia, illa verò sunt accidentia. Quare si Sol subiungit, steterit, aut si nobis non apparuerit, Sol nonne erit sol? inconueniens esset, si non esset Sol. Nàm Sol substantiam quandam significat, illa verò sunt accidentia. Quare hæc ratio, quæ addit in definitione Solis, id quod in nullo alio est, non est bona. Postea nec illam bonam definitionem solis, quę addit ea, quę etiam in alio reperiuntur probaturus ait. Item quæcunque in alio contingunt; idest, si quis in definitione solis addiderit etiam ea, quę in altero sole essent, si esset, tunc Sol (inquit) communis esset sol: at nos ex pręsupposito vnicum solem dicimus, ergo illa definitio non esset vnici solis. Nam sol singularium est, sicut est Cleon, aut Socrates. Cur tandem nemo eorum, inquit; idest, neq; Socrates, neq; Plato definitionem Ideæ posuit? Manifestum fieri concludit, tentantibus singularia definire, definitionem singularium non esse, & ea, quę dicta sunt vera esse.

CAPVT XVI.

Manifestum autem, quod etiam eorum, quæ videntur esse substantiæ, plures potentiæ, & partes animalium sunt. nihil enim eorum separatum est. Cum autem separarentur, tum etiam, vt materia omnia, terra, ignis, & aër. nihil enim eorum vnum est, sed quasi cumulus antequàm digerantur, & ex eis vnum fiat. Maximè autem aliquis animatorum partes putauerit, & animæ propinquas ambas fieri, vt sint & actu, & potentia, eo quòd principia motus ab aliquo in iuncturis habent, Quare quædam animalia diuisa viuunt. sed tamen potentia omnia erunt, cum vnum, & continuum fuerit natura, sed non vi, aut copulatione, tale namque læsio est. Cum autem vnum dicatur, sicut & ens, & substantia vnius vna, & quorum una numero vnum numero, manifestum quod neq; unum, neq; ens contingit substantiam esse rerum, sicuti neque elemento esse, aut principio. Sed quærimus, quid ergo principium, vt ad notiora referamus: magis igitur ijs substantia est ens & unum, quàm principium, & elementum, & caussa: sed necdum ista, si nec aliud quidem commune vllum substantia est. nulli enim inest substantia, nisi sibi ipsi, & habenti eam, cuius substantia est: item ipsum vnum, in pluribus non erit simul. commune verò simul in pluribus est. quare patet, quod nihil vniuersalium separatim præter singularia est. Sed qui species dicunt, partim rectè dicunt, separantes eas si substantiæ quidem sunt: partim non rectè quoniam vnam in multis speciem dicunt. Caussa verò est, quod non habent reddere quænam tales incorruptæ substantiæ præter singulares, & sensibiles sint. Faciunt igitur easdem specie ijs, quæ sunt corruptibiles (has enim cognoscimus) ipsum hominem, & ipsum equum, addentes vocabulum ipsum sensibilibus. Attamen etiam si non videremus astra, nihil minus,

(vt

(vt puto) essent substantiæ perpetuæ, præter eas quas nos sciremus. Quare nunc quoq; si non habeamus quæ nam sint, nec esse tamen fortassis fuerit aliquas esse. Quod igitur nec eorum quicquam, quæ vniuersalia dicuntur, substantia sit, nec vlla sit substantia, ex substantijs patet.

EXPOSITIO.

IN hoc Capite studet probare substantiam ex substantijs actu inexistentibus non constare. Tametsi aliquæ partes substantiarum videantur esse substantiæ. Primò ostendit in animalibus hoc non esse, posteà in plantis, Postremò nec in separatis; idest, vniuersalibus, & Ideis, si separata essent. Sicut partes animalium, inquit, de animalibus, vt est caro, os, cutis, & huiusmodi alia, non sunt partes substantię, sed potentia sunt, illud animal, cuius sunt partes. Et si separentur; idest, si separatę ab vnione animalis considerentur, erunt, ait, vt aliquis cumulus ex terra, aqua igne, & aere, quæ sunt vt materia antequàm iste cumulus digeratur, vt ex eo aliquid vnum generetur. Sic & illæ partes animalis separatim consideratæ non sunt substantię, sed potentiæ, sicut materia quædam, ex quibus vnum constat, & fit, quod est substantia. Verum quoniam in genere plantæ rami, ac surculi ab arbore auulsi, & in aliam arborem inserti, vel in terra plantati viuunt, sicut est natura arboris, à qua sunt separati; ita vt aliquis posset putare in similibus substantiam constare ex substantijs, & actu, & potentia existentibus. Ideò, ait, Maximè autem putauerit aliquis partes animæ animatorum; idest, plantarum, ambas propinquas; idest, similes fieri; & ambas partes; idest, & actum, & potentiam propinquas esse;

eò quia in omnibus nodis,& gemmis habent ab aliquo principium motus. Quod principium in multis nodis, & gemmis multa principia,& non vnum principium totius arboris aliquis posset arbitrari.Hoc tamen,inquit, non esse ita; sed omnia, quæ sunt huiusmodi potentia esse,dum vnum, & continuum fuerit ipsa arbor secundum suam naturam. Quoniam inserta arbor vi & copulatione vna est, non autem vna secundum naturam. Quare,subiungit,sed non ui,aut copulatione vna, sicut sunt insertæ arbores. Quia verò arbor in qua alia inseritur,læditur; ideò ait. Tale namq; læsio est. Platonica philosophia,quę temporibus Aristotelis Scholas occupauerat,vnum,& ens,quatenus sunt species separatæ putabant maximè substantias esse. quod & nostrę Scholæ etiam Aristotelem ita velle non rectè arbitrantur. Et illi enti addunt Ens transcendens. Quod si verum esset, vnum, vel ens substantiam esse, sequeretur contra huius Capitis propositum, substantiam ex substantijs constare,ita vt species substantię entis constaret ex prę-infinito numero substantiarum diuersarum specierum. Quare cum contra Platonis opinionem,tum contra nostrorum sententiam elaborat probare nec vnum, nec ens substantias esse; immo nec vllum eorum, quæ de pluribus prædicantur. Quare,cum autem vnum,inquit, dicatur,sicut & ens: & cum substantia vnius vna sit, & cum quorum substantia vna numero est,vnum numero sint. Ex ijs tribus præsuppositis ait manifestum esse neque vnum,neque ens substantiam esse rerum, quatenus vnaquæque res est sibi ipsi substantia; idest,vnius rei vna substantia est,& vnius substantiæ vna res. Quare sicut species separatæ non sunt rerum substantiæ; item subiungit, nec elemento est esse, cum in elementato non

seruet

ſeruet ſuam formam elementorum. ita, inquit, neque principio eſt eſſe, dum ſub eſſe illius eſt, cuius eſt principium. Verum vt manifeſtius oſtendat ea vera eſſe, quæ de principio, & elemento dixerat, ait, ſed quęrimus quid ergo principium eſt? quod vt ex comparatione ad ens, & ad vnum, quæ notiora eſſe videntur, innoteſcat, ait, Vt ad notiora referamus; ideſt, vt ad ens, & vn um comparemus. Quare poſitis ex altera parte vno, & ente, ex altera verò principio, cauſſa, & elemento ſub ratione vniuerſali ait. Magis igitur; ideſt, ijs ita in comparatione poſitis, magis eſt ſubſtantia vnum, & ens, quàm principium, & elementum, & cauſſa. Ac ne quis putaret eum aſſerere vnum, & Ens ſubſtantias eſſe, ſubiungit. Sed necdum iſta; ideſt, necdum vnum, & ens ſubſtantiæ ſunt. Ergo multo magis neque cauſſa, neque elementum, neque principium ſubſtantia eſt. Si nec aliud, inquit, vllum commune; ideſt, quod in pluribus eſt, vel prædicatur de pluribus ſubſtantia eſt hac ratione, quia nulli, inquit, ineſt ſubſtantia, niſi ſibi ipſi, & illam habenti; ideſt illi, cuius ſubſtantia eſt. Subſtantia ſibi ipſi ineſt, quatenus dicimus ſubſtantiam eſſe ſubſtantiam: habenti ſubſtantiam ineſt ſubſtantia, quoniã dicimus Socratis ſubſtantiam Socrati ineſſe. Poſtremò argumentatur. Item ipſum vnum; ideſt ſubſtantia in pluribus non erit ſimul: commune verò in pluribus ſimul eſt. Quare patere, inquit, nihil vniuerſalium ſeparatim præter ſingularia eſſe. Verum quoniam ij, qui Ideas aiunt ſubſtantias eſſe, coguntur dicere in vna ſpecie ſubſtantiæ plures ſubſtantias diuerſarum ſpecierum eſſe. quod ſi eſſet verum, ſequeretur contra eius præſuppoſitum vnam ſubſtantiam ex pluribus ſubſtantijs conſtare. Quod vt falſum oſtendat eſſe, probat ipſas

Ideas

Ideas non esse, inquiens. Sed qui species dicunt, partim rectè dicunt separantes eas si substantię sunt. Species, quæ substantia est separabilis est à materia sensu, & intellectione, sicut species,quę erat vnius singularis, ita vt possit dici talis species,quod quid erat esse,hæc autem species est sine materia,cuiusmodi sunt species philosophiæ Aristotelis. Quare, inquit, qui hoc modo species separat, rectè facit; idest rectè,& verum dicit; quoniam huiusmodi species sunt rerum species, quarum rerum cognitionem quærimus, immo ab ipsis rebus re nequeunt separari. Nisi tantum animus noster, qui quia non est de hoc genere corruptibilium; ideò à corruptibilibus re separabilis est. Quapropter dixit eos,qui species separant partim rectè dicere,quatenus substantiæ sunt, & species sicut dictum est. Partim, subiungit, non rectè quoniam vnam speciem in multis esse dicunt; idest, multorum specie diuersorum vnam speciem faciunt, quæ est Idea. Et non habent caussam, subiungit, quam possint reddere,quęnam tales species incorruptibiles pręter singulares substantias sint. Quas quidem substantias; idest, Ideas faciunt eiusdem speciei, cuius hę corruptibiles substantię sunt, addentes pronomen, ipsum, sicut substantia sensibilis si homo appelletur. Idea hominis appellabitur ipse homo. Quare homo alius est sensibilis homo; alius verò Idea homo. Huic enim addunt pronomen ipse, ob hanc rationem Ideam ponunt esse. Iccircò faciunt, inquit, igitur easdem specie Ideas ijs speciebus, quæ sunt corruptibiles. Has enim Ideas, subiungit, cognoscimus, vtputa, ipsum hominem, & ipsum equum addentes sensibilium nominibus pronomen, ipsum. Quę ratio vt ostendat quam sit ridicula,ait.Attamen etiam

si non

ſi non videremus aſtra, nec ſciremus, nihilominus eſſent in cęlo aliquę ſubſtantię perpetuę; ideſt, ſtellę, pręter eas, quas nos ſciremus. Et nunc fortaſſe neceſſe eſt, vt aliquę ſtellę in cęlo ſint, quarum cognitionem non habemus. Quare ſicut in ijs ridiculum eſt dicere, quia nos cognoſcimus ſtellas in cęlo; ideò ſtellę ſunt; ita ridiculum eſt dicere, quia nos nominibus ſubſtantiarum ſenſibilium addimus pronomen, ipſum, ideò ſunt Ideę. Quare concludit nec vllum eorum, quę vniuerſalia dicuntur ſubſtantiam eſſe, nec vllam ſubſtantiam ex ſubſtantijs eſſe.

CAPVT XVII.

Quid verò, & quale quid ſubſtantiam dicere oporteat, rurſus aliud quaſi principium facientes, dicamus. fortàſſis enim ex ijs erit manifeſtum de illa quoq; ſubſtantia, quæ eſt ſeparata à ſenſibilibus ſubſtantijs. Cum igitur ſubſtantiam principium, & cauſſa quædam ſit, hinc eſt procedendum. Quæritur verò ipſum propter quid ſemper ſic: propter quid, aliud alij alicui ineſt. quærere namque propter quid muſicus homo eſt, certè quærere eſt, quod dictum eſt, propter quod homo muſicus eſt, aut aliud. Quærere igitur propter quid ipſum eſt ipſum nihil eſt quærere. Oportet enim ipſum quod, & ipſum eſſe, exiſtere manifeſta entia. dico autem, vtputa quod Luna patitur Eclipſim. ipſius autem quod id ipſum, non niſi vna ratio, vnaq; cauſſa in omnibus, propter quid homo eſt homo, aut muſicus muſicus, ſi quis dicat, quod vnumquodque ad ſe ipſum indiuiſibile eſt, hoc autem erat vnum eſſe ſed hoc, & commune de omnibus, & breue eſt. Quærat autem aliquis, propter quid homo, animal tale quoddam eſt. Hoc igitur manifeſtum

eſt,

est, quod non quærit propter quid is, qui est homo, homo est. aliquid ergo de aliquo quærit, propter quid inest, quod autem inest oportet manifestum esse. si enim non ita, nihil quærit. vt puta, propter quid tonat? quia sonus in nubibus fit. ita namq; aliud de alio est, quod quæritur. & propter quid hæc, vtputa, lateres, & lapides domus sunt? manifestum itaq; & est, quod caussam quærit. hæc autem est quod quid erat esse, vt logicè dicam. quæ in quibusdam, est cuius gratia. vtputa fortassis, in domo, & lecto. In quibusdam verò, quod primum mouit. caussa namq; etiam hoc. sed talis quidem caussa quæritur, dum quippiam fit, vel corrumpitur. altera verò, etiam dum est. Latet autem præcipuè, quod quæritur, in ijs quæ non de alijs dicuntur (vtputa quæritur homo quid est) eo quod simpliciter dicitur, neq; determinatur, quòd hæc vel hoc. Oportet igitur rectè disponentes quærere. quod si non, commune fit eius, quod nihil est quærere, & eius quod aliquid quærere. Cum autem & habere & existere ipsum esse oporteat, manifestum est, quod propter quid est, ipsam materiam quærit. vtputa, hæc sunt domus propter quid? quia hæc existunt, quod erat domus esse, & homo hoc, aut corpus hoc tale habens, quare? caussa materiæ quæritur. hæc autem species, qua aliquid est. hæc autem est substantia. Patet itaq; quod de simplicibus non est aliqua quæstio, neq; doctrina, sed alius talium quæstionis modus. Cum uerò quod ex aliquo compositum, ita vt vnum totum sit, non est vt cumulus, sed vt syllaba, syllaba verò non est ipsa elementa, nec idem B. & A. nec caro, ignis, & terra dissolutis nanque, hæc quidem amplius non sunt, vt caro, & syllaba. Elementa verò ignis, & terra sunt: ergo syllaba aliquid non solum elementa, vocalis & muta, sed etiam aliquid aliud. & caro, non solum ignis & terra, aut calidum & frigidum, sed etiam aliquid aliud. Si igitur necesse est illud, illud quoque, aut elementum, aut ex elementis esse, si elementum quidem rur-

sus

ſus eadem ratio erit. ex hoc enim & igne, & terra erit caro, & item alio. Quare in infinitum progredietur. Si verò ex elemento, patet quod non ex vno, ſed ex pluribus quàm ipſum, erit. quare iterum de hoc eandem rationem dicemus, quam de carne, aut ſyllaba. Videbitur autem eſſe aliquid tale, & non elementum, ac cauſſam; ſed hoc carnem, hoc verò ſyllabam eſſe. Similiter & de cæteris. Subſtantia verò cuiuſque quidem, hoc. hoc namque prima ipſius eſſe cauſſa eſt. cum autem quædam non ſubſtantiæ rerum ſint, ſed quæcunque ſubſtantiæ ſecundum naturam, & natura conſtitutæ ſint, videri poſſit profectò aliquibus hæc quoque natura ſubſtantia eſſe, quæ non elementum, ſed principium eſt. Elementum autem eſt, in quod exiſtens diuiditur, vt materiam, vtputa, ſyllabæ ipſum A, & B.

EXPOSITIO.

IN toto hoc Septimo Libro diſſerit de ſubſtantia generabili, & corruptibili tum vt in ſe eſt, tum vt in ſuis tranſmutationibus, tum quomodo dicatur. Ita vt philoſophiæ Ariſtotelis proprietas modi philoſophandi magis in hoc, quàm in quouis alio eiuſdem Libro perſpiciatur. Verum quoniam hactenus diſſeruit de ſubſtantia, quatenus eſt quidam effectus; ideò in præſenti Capite agit quatenus ſubſtantia eſt quædam cauſſa, vel certè cauſſa dependens hoc initio. Quid verò, & quale quid ſubſtantiam dicere oporteat, rurſus aliud quaſi principium facientes dicamus. Verùm quoniam ex hoc propoſito ſpeculationis deducimur in cognitionem ſubſtantiarum, quæ à ſenſibilibus ſunt ſeparatæ, quæ ſubſtantiæ ſunt orbium cœleſtium motrices; & ad cognitionem illius ſubſtan-

tiæ, quæ eſt ſupra omne genus ſubſtantiæ & corruptibilis, & incorruptibilis, & corporeæ, & incorporeæ, quæ eſt totius vniuerſi ipſum bonum, & ipſum optimum, ad quod omnia, ſicut vniuerſus exercitus ad imperatorem ſunt coordinata. quod eſt in hac ſpacioſiſſima domo vniuerſi, ſicut paterfamilias; à quo tandem omnia originem ducunt ita, vt vnumquodque ſingulare, inde & eſſe, & fieri habeat: quatenus ſuæ infinitæ virtutis amplexu, & per ſecundas cauſſas, & ſine ſecundis cauſſis omnia continet, quod eſt in omnibus, & ſuper omnia nunquàm ſatis laudatus prępotens Deus. Ideò fortaſſis enim, inquit, ex ijs erit manifeſtum de illa quoque ſubſtantia, quæ eſt ſeparata à ſenſibilibus. Quæ quidem ſubſtantia ſeparata licet ſignificet, & ſeriem motorum cœleſtium, & Deum Optimum Maximum; non ſunt tamen hæ ſubſtantiæ eiuſdem generis in Philoſophia Ariſtotelis, ſicut nec incorruptibile eſt de genere corruptibilium. Ita nec ipſum bonum, & ipſum optimum vniuerſi eſt in genere aliquorum ex aliqua parte quantumcunque bonorum. Hæc omnia dicta eſſe de mente Ariſtotelis in Capite vltimo Libri Duodecimi noſtram ibi expoſitionem legenti patebit clarius. Hoc propoſitum ita incipit perſcrutari. Cum igitur ſubſtantia principium, & cauſſa quædam ſit, hinc procedendum eſt; ideſt à conſideratione ſubſtantiæ quatenus eſt quædam cauſſa. Poſteà declarat quomodo cauſſam cognoſcere quæramus, quid quęrentes (de quibus agit & in principio ſecundi poſteriorum, & in fine octaui) dicens. Quæritur ipſum propter quid ſemper ſic; ideſt, quæritur cauſſa ſemper hoc modo. Propter quid aliquid; ideſt, quod eſt cauſſa alij alicui, quod eſt cauſſatum, ineſt. Ideò dixit, alij alicui; quoniam in

eius

eius philoſophia omnis prædicatio, & omnis inhærentia eſt de primis ſubſtantijs, & in primis ſubſtantijs. Vniuerſale namque non prædicatur de vniuerſali tanquàm de ſubiecto, nec eſt verum dicere, omnem propoſitionem diuidi in ſubiectum, & prædicatum. Sed ad textum redeamus. Quomodo cauſſa quæratur hoc exemplo declarat. Et ideò propter quid muſicus homo eſt cum quis quærit? certè, ait, quærit propter quid homo eſt muſicus, aut aliquid aliud; ita vt aliud homo ſit, aliud verò ſit id, quod de ipſo homine quæritur. Quare, ſubiungit, quærere propter quid ipſum, eſt ipſum, nihil eſt quærere. Poſteà ait. Oportet ipſum quod, & ipſum eſſe, exiſtere manifeſta entia; ideſt, oportet ipſum quod; ideſt, ipſum quod ſubeſt, & ipſum eſſe; ideſt, id quod ineſt, manifeſta eſſe entia. Deinde inhęrentiam, inquit, alterius alteri eſſe quærendam. ſicut de Eclipſi, quam Luna patitur neceſſe eſt manifeſta eſſe prius, & Lunam, & Eclipſim, deinde quęrere propter quid alterum alteri ineſt. Quoniam verò ſimplicium; ideſt, incomplexorum cauſſa non poteſt quęri, quia omnium eſt vna ratio, & vna cauſſa in omnibus, quatenus vnumquodq; eorum ad ſe ipſum & idem; ideò ait. Ipſius autem quod idipſum (hęc ſunt ſimplicia) non eſt niſi vna ratio, & vna cauſſa in omnibus; ſicut ſi quis quęreret propter quid homo eſt homo, aut muſicus muſicus? Reſpondendum eſſet vnumquodq; ad ſe ipſum indiuiſibile eſſe; & hoc erat vnum eſſe. Sed, ſubiungit, hoc eſt commune de omnibus, & breue dictum. Poſtquàm diſſeruit quid, & quo modo ſit cauſſam quęrere cum in compoſitis, tum in ſimplicibus, deinde hoc exemplo declarat dicens. Quęret autem aliquis propter quid homo animal tale quoddam eſt? In

hoc quęsito, ait, manifestũ esse hunc, qui quęrit nõ quærere propter quid is, qui homo est; homo sit; sed aliquid de aliquo quęrere propter quid hoc huic inest? Quare id, quod inest oportet manifestum esse, quod si non sit manifestũ, nihil quęreret. Ideò aliud exemplum subiungit, dicẽs. Propter quid tonat? Respondetur, quia sonus in nubibus fit. Ita vt manifestè pateat aliud de alio esse, id quod quęritur. Posteà subiũgit alia quęsita, in quibus possunt quęri caussę, quę sunt vt forma, mouens, finis, & materia. Propter quid hęc, vtputa, lateres, & lapides domus sunt? & respondet manifestum esse caussam quęri, & hanc caussam esse, quę Physicè species, & Logicè; ideſt, in rationibus, quod quid erat esse appellatur. Ac subiungit, hanc caussam in quibusdam esse finẽ, sicut si quis quęreret, propter quid est hęc domus? vel propter quid hic lectus? cui rectè respondendum esset vt protegamur à frigore & calore, & vt corpori somno quietem demus. Et dum quęrimus propter quid hęc generentur, & corrumpantur, & moueantur? caussam mouentem propriam quęrimus. Posteà, ait, quando in quęsito non dicitur manifestè alterum de altero, sed simpliciter. Sicut propter quid est homo? latet quod quęritur, quia non determinatur quid de quo. Quare, subiungit, oportere quęrentes rectè disponere sua quęsita. Quod si non fecerint, quęstiones eorum erunt sicut nihil determinantes, ita & nihil quęrentes. De quęsito in quo materia quęritur, ait, Ipsum esse; ideſt (speciẽ) necesse est, & vt in cognitione sit, & vt habeatur ex ijs, quę cognoscimus. Quod si quęratur, propter quid hęc species sit? ait, manifestum esse in hoc quęsito materiam quęri, quę materia est caussa, vt illud esse sit domus, vel vt sit homo; ideſt, interroganti propter quid
illa

illa ſpecies eſt domus? rectè reſpondebitur propter lateres,& lapides,in quibus quod quid erat eſſe, eſt. Vel propter quid homo eſt, aut propter quid eius corpus tale corpus eſt? Reſpondet in ijs quæſtionibus manifeſtum eſſe cauſſam quæri,quę eſt materia. Verum quoniam in omni compoſito altera pars eſt ſpecies, altera verò materia; ideò hæc autem, inquit,ſpecies eſt, qua ſpecie aliquid eſt id,quod eſt, & hæc aliud eſt ſubſtantia; ideſt, materia, & ſubiectum. Poſteà patet de ſimplicibus, inquit,ideſt,de incomplexis non eſſe quęſtionem aliquam, neq; doctrinam; ideſt, nec de eis poſſumus aliquid quærere,nec de illis poſſumus aliquid doceri. Sed,ſubiungit,horum alium modum eſſe quęſtionis,quatenus horum vna pars non eſt cognita,& alia vt cognoſcatur,quæritur. De ijs in fine Noni Libri meminit. Notandum hic eſt hæc ſimplicia non eſſe ſubſtantias orbium motrices. Hæc ſimplicia Logicè dicuntur, quod quid erat eſſe, quale erat eſſe, quantum erat eſſe, ſimiliter & de alijs. Poſteà vt probet elementa non ſeruare ſuam ſpeciem in elementatis,ait. Cum verò id quod ex aliquo compoſitum eſt ita,vt aliquod totum vnum ſit, hoc ait, non eſt vt cumulus,ſed eſt vt ſyllaba. Verum ſyllaba non eſt elementa ipſa, nec idem quod B. & A. ſyllaba, BA, nec caro eſt ignis,& terra,ex quibus eſt generata. Et item diſſolutis ijs; ideſt carne, & ſyllaba,amplius nec caro nec ſyllaba eſt,ſed elementa ſunt; ideſt ignis,& terra, & B, & A. Ex quibus infert ſyllabam eſſe aliquid non ſolùm vocalem, & mutam; ſed præter hæc eſſe aliquid aliud vnum. Similiter & caro non modo eſt ex parte materiæ ignis,& terra,aut calidum,aut frigidum,quod eſt propinquior materia, ſed etiam aliquid aliud vnum; ideſt,caro. Poſteà de carne,

& de

& de ſyllaba loquens.ait.Si igitur illud neceſſe eſt quoque aut elementum eſſe, aut ex elementis eſſe: ſi elementum eſſet caro,ſequeretur ex carne, terra, & igne, quæ ſunt elementa,carnem denuò fieri,& eadem ratione iterum & infinita. Poſteà ſi verò,inquit,ex elemento caro fit,ait patere ex vno elemento carnem non poſſe fieri, ſed ex pluribus elementis, quàm ipſum vnum eſt. Nàm ſi ex vno elemento eſſet facta caro, ſequeretur ex hac carne, & aliam carnem fieri, ita & in infinitum. Eodem modo dicendum & de ſyllaba. Quare & de ipſa carne,& de ſyllaba loquens, ait. Videbitur autem eſſe aliquid tale & non elementum, ac cauſſam, ſed hoc carnem,hoc verò ſyllabam eſſe. Similiter & de cęteris,quę ex elementis fiunt,ſic intelligendum eſſe. Poſteà loquens de carne, & de ſyllaba, quatenus ſunt hoc aliquid,ait. Subſtantia verò cuiusq; quidem hoc. namq; prima ipſius eſſe cauſſa eſt.Verum quoniam eorum,quę ex elementis fiunt quædam non ſunt ſubſtantiæ,ſed ſubſtantię quęcunque ſunt natura,& ſecundum naturam conſtitutę,illę ſubſtantię ſunt;ideò ſubiungit. Videri poteſt aliquibus tametſi nondum eſt probatum ita vt clarè poſſit conſtare,ſubſtantiam eſſe hanc naturam,quę non eſt elementum,ſed principium; ideſt,extrinſecum principium,quoniam elementum eſt intrinſecum in quod exiſtens diuiditur, vt in materiam, ſicut ſyllaba in A, & in B. eius elementa.

FINIS.